DE ALCHEMIA
DIALOGI II.

Quorum prior, Genuinam librorũ Gebri sententiam, de industria ab authore celatam, & figurato sermone inuolutam retegit, & certis argumentis probat. Alter Raimundi Lullij Maioricani, Mysteria in lucem producit.

Quibus præmittuntur, propositiones centum uiginti nouem, idem argumentum compendiosa breuitate complectentes.

Exemplar Italica Versione impressum Anno 1544 ap. Gabriel. Giolito de Ferrarij
La Espositione di Geber Philosopho di Messer
Giouanni Braccesco da Jesi nouam. nella quale si chiarano
molti obliqui secreti della Natura.

Norimbergæ apud Iohan. Petreium,
Anno M. D. XLVIII.

TYPOGRAPHVS LECTORI
Salutem.

EDidi superioribus annis, aliquot Gebri atq; Raimundi Lullij opuscula de Alchemia, quę utraq; longe aliud habent in recessu, quàm prima fronte præ se ferant, Vnde facile fieri potest, ut non modo rudes, uerum etiam paulo doctiores in illis intelligendis, cæcutiant, & à uero scopo aberrent. Quod cum minime fieri uelim (nam prodesse, non obesse cupio.) statui hos dialogos eius artis studiosis communicandos esse, quorum ductu ceu filo quodam freti, hunc Labyrinthum audacter ingrediãtur, & salui regrediantur. Author enim eorum, quisquis fuit, tanta diligentia atq; industria non modo libellos illos perscrutatus est, uerum etiam res ipsas experiundo tractauit. Vt etiam si non omnia illorum mysteria eruerit (superbum enim esset id asseuerare) plurimum tamen eruditis ad intelligendos & obseruandos illorum figuratos sermones contulerit, ut quædam etiam ipsi, eiũs exemplo, sint inuenturi. Indoctioribus autem uel in hoc profuerit, ut ostendendo, in hac arte, longe aliud quàm uerba sonent, significari, eos absterreat, ne se arti, cui idonei non sunt, in suam perniciem immergant. Vale.

EXPOSITIO
LIBRORVM GEBRI ET RAIMUNDI, ex Tuscanico idiomate traducta.

Centum uiginti nouem propositiones Gebri ac Lullij, libris recte intelligendis conducibiles, incerto Authore.

1. GEber ingenioſe ſuos libros conſcripſit, ſermone tali, qui prudentes minime lateret, mediocribus profundiſsimus eſſet, Ignorãtibus autẽ & imperitis utroſq; terminos irreſerabiliter concluderet, una & eadem traditione.

2 ¶ Vili precio ad finem perducitur operatio hæc.

3 ¶ Principia naturæ etiam huius magiſterij principia ſunt.

4 ¶ Qui non habuerit ingenium naturale, & animam perſcrutantem ſubtiliter principia naturalia, & naturæ fundamenta, & artificia, quæ conſequi naturam poſsint, in ſuæ actionis proprietatibus, non inueniet huius precioſiſsimæ ſcientiæ ueram radicem.

5 ¶ Principiorum naturalium Metallorum, triplex eſt differentia. Sunt enim quædam remotiſsima, quædam remota, ſiue media mineralia, alia uero immediata.

6 ¶ Omnia metalla ex Sulphure & Vitriolo generantur.

7 ¶ Argentum uiuum, & Sulphur commune, non ſunt principia metallorum.

8 ¶ Materia prima, in hac arte, ea dicitur, quæ proxime accedit ad naturam metallicam.

9 ¶ Vitriolum proxime accedit ad naturam metallicam,

quia ſulphureum eſt, & in ſe habet uirtutem mineralem, ut conuertatur in metallum.

10 ¶ Virtus mineralis, generandi metalla, eſt in ſulphure loto, ſine quo metalla nunquam generari poſſunt.

11 ¶ Hæres, quæ naturam ſalis & aluminis habent, tantummodo ſolubiles ſunt.

12 ¶ Ex uitriolo ſoluto duplex fumus reſoluitur, & hi duo fumi à Philoſophis Sulphur & Mercurius dicuntur.

13 ¶ Sulphuris ſpecies, in metallis uirtutem proximam acquirunt metallationi.

14 ¶ A metallis imperfectis diuerſa uitriola accipimus, nobis & utilia & neceſſaria.

15 ¶ Species ſulphuris præparatæ, aptiſsimæ res ſunt, ut ipſorum argentum uiuum, in Mercurium, aurum, ſiue argentum conuertant.

16 ¶ Quando uapores exhalantes cadunt in certam terram rubram, conuertuntur in argentum uiuum commune.

17 ¶ Quum duplex fumus, penetrando per ſaxa, ſulphur inuenit, ipſum ſoluit, & ipſi commiſcetur firmiter, & per ſucceſſiuam decoctionem in minera, conuertitur in metallum.

18 ¶ Omnia metalla, ex eadem & ſimili materia generantur. Diuerſitas autem inter ipſa, procedit ex diuerſitate, loci mineralis, & ex diuerſis accidentibus, & contrarietate ſulphuris loti, & diuerſa digeſtione.

19 ¶ Omnia accidentia, materiæ radicali ſuperuenientia, poſſunt remoueri, facturi uerum Elixir, quod metallum eſt plus & perfectum, neceſſe eſt, illud fieri ex proprio ſemine naturæ.

20 ¶ Elementa lapidis Philoſophorum, naturã propinquam, conuertendi ſe in metallum, adepta ſunt, quod elementis aliarũ rerum minime conuenit.

21 ¶ Vitriolum commune, principium remotum eſt ab arte.

22 ¶ Principia artis, non ſunt in rebus uegetabilibus, ſiue animatis, neq; in his rebus, quæ ab his ſumuntur, quia aliena ſunt à natura metallorum.

Sulphur,

23 ¶ Sulphur, & argentum uiuum commune, non ſunt principia naturæ, ergo neq; artis principia erunt.

24 ¶ Sulphur ſolum non poteſt generare neq; Metallum neq; Elixir.

25 ¶ Qui ita nouerit præparare Sulphur, ut Metallis commiſceri & uniri poſſit, maximum naturæ ſecretũ tenebit, & uiam breuem perfectionis ingreſſus eſt.

26 ¶ Elixir fit duobus modis, ut per calcinationem & ſolutionem, & ſine calce & diſtillatione.

27 ¶ Argentum uiuum, ſuis Sulphuribus coniunctum, & coagulari & fixum reddi poteſt.

28 ¶ Argentum uiuum cum ſolis herbis non redditur fixum.

29 ¶ Noſtrum argentũ uiuum, ſiue Mercurius noſter, ſal eſt, uirtutem habens ueræ calcis.

30 ¶ Mercurius, ſiue argentum uiuum metallorum, per calcinationem conuertitur in ſal.

31 ¶ In corporibus metallicis ſunt duæ ſulphureitates.

32 ¶ Noſtrum Arſenicum, ſulphure & argento uiuo participat, quare Hermaphroditon appellant, attamen per ſe non poteſt metallum aut Elixir generare.

33 ¶ Tutia fumus albus eſt, noſtri Iouis, propterea cupro colorem citrinum inducit.

34 ¶ Sulphur & argentum uiuum redduntur fixa, per conuerſionem in terram, & ſine hac conuerſione.

35 ¶ Sulphur cum ſuo ſale & aceto calcinatur & lauatur.

36 ¶ Noſter Iuppiter & Saturnus ſales ſunt ſimul iuncta, ante diſtillationem.

37 ¶ Sulphur in præparatiõe plures ſupra ſeſe pelliculas creat.

38 ¶ Sub Marchaſitæ nomine Geber de lapide philoſophorum loquitur.

39 ¶ Vaſa putrefactionis, & præparationis ſulphuris, ſimilia ſunt & eadem, hoc eſt, in fundo plana.

40 ¶ Artis principia inueniuntur in metallis.

41 ¶ Elixir, & lapis Philoſophorum, uegetabiles & animales, & minerales ſunt.

42 ¶ Necessarium est, ut inueniatur medicina metallica, quæ imperfecta metalla transmutare possit in uerũ aurum & argentũ.
43 ¶ Metalla perfectissime transmutari possunt, unũ in alterũ.
44 ¶ Ars plerunq; uincit naturæ operationem.
45 ¶ In uno solo lapide, consistit totũ magisteriũ huius artis.
46 ¶ In generatione metallorum & Elixir, sulphur semini paterno simile est, Argentum uiuum uero fœmineo menstruo.
47 ¶ Lapis Philosophorum, habet in se omnem naturalem præparationem, & totum hoc, quod ad perfectionẽ requiritur.
48 ¶ Elixir, aurum potabile, quinta essentia, & semen, ex eadẽ materia fiunt.
49 ¶ Opinio quorundam: qui Elixir fieri uolebant ex auro communi.
50 ¶ Elixir ex auro communi fieri non potest, quia ipsius sulphur iam ad ultimum, permanentemq; tincturam peruenit, & ipsius tinctura hoc non excedit, quod sibi necessarium erat. Propterea aurum & completum & determinatum dicitur, neq; (ut maxime necessarium erat) debitè ad primam materiam reduci potest.
51 ¶ Humidum radicale, in cæteris metallis æque uirtuosum, incorruptum & incombustibile est, ut auri.
52 ¶ In lapide Philosophorum, aurum & argentum sunt in potentia & uirtute.
53 ¶ Per corpora perfecta Geber sulphuris præparati species intelligit.
54 ¶ Aurum Philosophorum, & aurum potabile, sulphur subtilissimum radicale sunt, quod anima dicitur.
55 ¶ Fumus albus, in suo uentre fumum rubrum portans, est uera quinta essentia.
56 ¶ Quinta essentia, actu nullam qualitatẽ habet elementalẽ.
57 ¶ Aqua uitæ Philosophorũ, è lapide Philosophorũ descẽdit.
58 ¶ Sulphur, mediante igne, dulcorat aquam amaram.
59 ¶ Cœlum nostrum ornari debet Sole nostro & stellis.
60 ¶ Nostra quinta essentia, uarijs nominibus appellatur pernicio-

nicioſorum & ferocium animalium, ut urſi, leonis, & ſimilium.
61 ¶ Aquæ coagulãtes & figentes, duæ ſulphuris ſunt ſpecies, Veneris & Martis nomine deſignatæ.
62 ¶ Vitri nomine in iſta arte ſæpe ſulphur intelligitur.
63 ¶ Differentia eſt inter coagulationem quintæ eſſentiæ, & fixum Elixir. Operantur enim diuerſos effectus.
64 ¶ In medicina potabili pars animalis habetur.
65 ¶ In omni metallo ſingula Philoſophorũ metalla cõtinent.
66 ¶ In iſta arte neceſſe eſt, occultum manifeſtari, & manifeſtum occultari.
67 ¶ Cum præcipitur, corpora in aquam eſſe reſoluenda: intelliguntur ſpecies ſulphuris.
68 ¶ Præter ſulphur & argentum uiuum, non ſunt alia Philoſophorum metalla.
69 ¶ Ars imitatur naturam in multis rebus.
70 ¶ Sulphur rubrum, ut uinum, quando calcinatione nigreſcit, nigrum nigro nigrius dicitur.
71 ¶ A colore nigro ad albedinem, multi & uarij colores apparent in ſulphure.
72 ¶ Elixir primo fit nigrum, ſecundo dealbatur, poſtea colorem citrinum aſſumit, ultimo uero rubrum.
73 ¶ Elixir coagulatur in forma oui.
74 ¶ Nigredo durat quadraginta dies.
75 ¶ Veteres, ſub uelo fabularum poeticarum, occultauerunt hanc artem.
76 ¶ Sub fabula Herculis & Anthei, occultauerunt præparationem ſulphuris.
77 ¶ Dixerunt ueteres, Iouem ſeſe conuertiſſe in pluuiam auream, hac fabula occultantes diſtillationẽ auri philoſophici.
78 ¶ Per Argi oculos, in Pauonis caudam conuerſos, ſignificarunt noſtrum ſulphur, quod de colore in colorem mutatur.
79 ¶ Sub Orphei fabula, occultauerunt dulcedinem quintæ eſſentiæ, & auri potabilis.
80 ¶ Si Empedocli credimus, occultauerunt ueteres totam

huius

huius artis praxin, sub fabula Pirrhi & Deucalionis.

81 ¶ Sub fabula de Gorgone, qui omnes se conspicientes in lapides conuertebat, occultauerunt fixionem Elixir.

82 ¶ Distillationem occultantes dixerunt, Iouem conuersum in Aquilam, subuolasse cum Ganimede in cœlum.

83 ¶ Sub fabula Dedali & Icari, putrefactionem & distillationem occultauerunt.

84 ¶ Distillationem, auri Philosophorum, occultauerunt, dicentes, ramo aureo exciso, aliũ statim subnasci similiter aureũ.

85 ¶ Hanc distillationem occultauerunt etiam, dicendo: Iouem patris sui Saturni genitalia excidisse.

86 ¶ Aqua Mercurialis currus est Phaetontis.

87 ¶ Per Mineruam armatam, intellexerunt eam aquam distillatam, quæ partem habeat subtilissimi sulphuris, quod sulphur ferrum dicitur.

88 ¶ Per Vulcanũ, q Mineruam sequitur, significatur sulphur, quod hanc aquam sequitur, & suum sal in putrefactione.

89 ¶ Per nubem spissam, cum qua Iupiter circumdedit Io, significatur pellicula in coagulatione Elixir apparens.

90 ¶ Pelliculæ nigræ, apparentes in calcinatione sulphuris, sunt uela nigra, cum quibus Theseus redijt Athenas.

91 ¶ Sub nomine diluuij & generationis animalium, describserunt distillationem, & generationem sulphuris.

92 ¶ Per Martem significarunt nostrum sulphur, & per Iunonem elementum aeris, & interdum elementum terræ.

93 ¶ Per Latonam, in Delo insula compressam à Ioue, significauerunt nostrum cuprum, quod in bocciam positum, Solem & Lunam generat, præparationem sulphuris occultauerunt, dicentes: Vulcanum propter deformitatem deiectum in insulam Lemnon.

94 ¶ Atalantos, hoc est aqua nostra uelocissima, & leuissima, cum sulphuribus & coagulatur & firmatur.

95 ¶ Boli, quibus Theseus ora Minotauri inuiscauit, sunt sulphuris species. In Labyrintho, hoc est, in nostro uase, siue bocciaaquam mercurialem inuiscantes.

96

96 ¶ Per Phœnicem, qui semper reuiuiscit, intellexerunt multiplicationem Elixir.

97 ¶ Sub nomine & fabula Demogorgonis, occultauerunt materiam & praxin huius artis.

98 ¶ Chaos ueterum, est noster Saturnus.

99 ¶ Elixir ex argento fieri non potest.

100 ¶ Elixir fit ex metallis imperfectis.

101 ¶ Metalla imperfecta, media mineralia sunt.

102 ¶ Opinio illorũ, qui Elixir ex plumbo cõmuni faciebãt.

103 ¶ Opinio quorundã, Elixir ex stagno faciẽdũ affirmãtes.

104 ¶ Elixir neq; ex stagno neq; ex plumbo communi fieri potest, cum sint immunda in radice.

105 ¶ Primus ordo præparationis est, secundus est fixionis, tertius uero multiplicationis Elixir.

106 ¶ Ex fecibus adustis extrahitur Mercurius noster, cum quo multiplicatio fit.

107 ¶ Cuprum, & ferrum commune, in eorum radice pura & munda sunt.

108 ¶ Elixir fieri non debet ex cupro communi.

109 ¶ Nostri cupri minera sal est, dictum Saturnus.

110 ¶ Opinio Elixir fieri non posse ex ferro communi.

111 ¶ Ex traditione Gebri, & omnium Philosophorum probatur amplius: Elixir fieri ex ferro communi.

112 ¶ Vas distillationis Mercurij, simile esse debet tabulæ planæ, aut paruæ concauitatis.

113 ¶ Elixir fit ex ferro communi, quod hoc plus sulphuris fixi habeat præ cæteris metallis, Et quòd sui spiritus uirtuosiores sunt, & quòd sua terrestreitas ab eo facile separetur, & facile ad materiam primam reducatur, & quòd ipsius ferri Mercurius præparatus, suum sulphur melius à combustione defendat, & quòd hoc incompletũ sit, & medium minerale, in quo extrema in uirtute continẽtur, & quòd minera sit auri philosophici.

114 ¶ Antiqui Philosophi per uaria ænigmata & similitudines significarunt, Elixir ex ferro componi.

115 ¶ Ferrum,hominem dixere ueteres, quòd habeat animã, corpus & ſpiritum.
116 ¶ Ferrum generatur in terra ſpecialiter per uirtutem ſtellæ polaris.
117 ¶ Lapis ille,qui uili precio uenditur, ferrum eſt,ſi cæteris metallis comparaueris.
118 ¶ Ferrum uegetabile dicitur.
119 ¶ Fit Elixir ex lapide uiliſſimo.
120 ¶ Lapis uiliſſimus Philoſophorum uegetabilis, animalis & mineralis eſt.
121 ¶ Elementorum ſeparatio.
122 ¶ Ferri ſpuma, quæ à fabris ferrarijs abijcitur, uiliſſimus lapis Philoſophorum eſt.
123 ¶ Humidum radicale,metallorum igne non aduritur.
124 ¶ Ex ſcriptis Gebri probatur, ſpiritus ex calce ferri, ſublimandos eſſe.
125 ¶ Calx ferri, ignis uehementia conuerſa in naturam Vitri coloris quaſi uiridis, aut cæleſtini obſcuri,ſiue Saphirini obſcuri, uirtuoſiſſimus Philoſophorum lapis eſt.
126 ¶ Vitrum hoc, humidum radicale ferri eſt, uarijs Philoſophorum ſententijs probatur, lapidem, Philoſophorum igne non aduri.
127 ¶ Ferrum à multa terreſtreitate mundificatur,cum in naturam uitri reducitur.
128 ¶ Veteres Philoſophi conuertebant uitrum in naturam metallicam.
129 ¶ Vitrum eſt maior lapis uilis, repertus & famoſus &c.

FINIS.

DIALOGVS PRIMVS, VERAM ET GENVINAM librorum Gebri ſententiam explicans.

Demogorgon, Geber.

DEMO: Salue magni Machumetis ſapientiſſime nepos.
GEBER. Saluum te aduenisse gaudeo, Sed quæ cauſa eſt tam longinqui itineris?
DEMO: Naturalis & innata cupiditas,indagandi & cognoſcendi profundiſsima naturæ ſecreta, quæ diuina mente ex abditiſsimis naturæ arcanis eruta, per te docte quidem & ingenioſe literis tradita ſunt, Tanta uero ſermonis obſcuritate conſcripta,ut etiã poſt grauiſsimos labores, & ſingularem ſtudiorum aſsiduitatẽ, ad uerum ſenſum penetrare,& animi tui intentionem colligere haud poſſim. Quamuis multum temporis, ad uirilem uſq; ætatem, bona ex parte,in his rebus conſumpſerim,& in euoluendis tuis ſcriptis ferè 35 annos tranſegerim. Quare iam olim apud me conſtitutum erat, orbem terrarum mihi peragrandum, ut tandẽ obueniret uir ſapiens,qui hanc diuinam,ſecretiſſimamq; naturalis Philoſophiæ partem ita teneret,ut me facile tam profundæ cogitationis poſſet facere participem. Verũ in hac mea peregrinatiõe infinitos artifices audiebam,temerario auſu affirmantes;ſe intentionem tuam & ueriſſimum ſenſum tuorũ ſcriptorum ad unguem cognouiſſe,præter laborem tamẽ & graue diſpendiũ nihil penitus conſecutos,omnẽ culpam in te reijcientes. Ego uero ex ſingulari amore erga te,quem ſemper colui reuerenter, & magnifeci, & famam & honorem tuum defendere non dubitaui,contra impudentiſſimorum detractatorum futi-

les ac inanes oblocutiones & morsus. Sciebam enim, te cæteris omnibus, qui hanc subtilissimam secretioris Philosophiæ partẽ aggressi sunt, cũ apud ueteres tum recentiores, ab omnibus ueræ Philosophiæ studiosis præferri. Inde captus summo desiderio, uisendi te, & coram de hisce rebus differendi, meum iter ex Italia, huc in Persiam deflexi, maxime, ut apud te impetrarem, ut me in consortium & numerum tuorum discipulorum recipere non recusares. Tantum enim apud me discendi amor & studiũ prævaluit, ut neq; itineris longinquitas, neq; tot pericula subeunda, absterrere me posse uiderentur, sed fortiter hæc contemnenda putarem.

GEBER. Petis sanè honesta, desideriumq; tuum generosi animi certissimum indicium est. Quare non grauabor, te & in discipulorum & amicorum meorum numerum recipere. Feceris autem rem haud ingratam mihi, si eorum rationes, qui uanis oblocutiõibus meæ æstimationi detrahere student, indicaueris.

DEMO: Exorta est sæpe grauis uerborum concertatio inter nos, sceleratosq; tuæ famæ & nominis detractores, qui te acerbe accusabant & uituperabant, ex scriptis tuis se delusos & deceptos, supplantatosq; prædicantes, quod in hanc sententiam, in proœmio libri, summæ perfectionis, scripseris: Per Deum, qui secundum hunc librum operatus fuerit, uerum finem huius artis se adinuenisse lætabitur: His uerbis fidentes, maxime adducti sunt, ut neq; labori, sumptui, aut tempori parcerẽt, omnia ut aiunt, ex libri tui instituto operantes, tamen nihil unquam consecutos, præter grauissimam rerum suarum iacturam, & temporis & laboris dispendium. Et quod grauius ferunt, nominis & famæ iacturam fecisse, omnibus ludibrio esse, cum digito, ut in prouerbio est, subnotari, ut minime tuto aut tranquille inter cæteros homines conuersari possint aut audeant. Hac ratione execrantur, maledicunt, uituperant, & contumeliosis conuitijs spargendis nullum finem faciunt, fallarium, impostorem, ac hominem uersutum, fallacemq; te clamitantes, Cui id unum semper cordi fuerit, ut quàmplurimos faceret cum ratione insanos.

GE-

GEBER. Quis, obsecro, adeo diuinus & sapiens inter homines uixit unquam, qui sceleratos & malignos non aliqua ex parte offenderit?

DEMO: Quid autem dicis, de multis sapientissimis, & uitæ quasi inculpatæ, qui in eodem errore uersantur?

GEBER. Scripsimus lib. primo, cap. 7. summæ nostræ, Hanc artem in diuina potentia Dei, qui eam subtrahit aut largitur, cui uult, seruari, qui est gloriosus & sublimis, & omni iusticia & bonitate repletus. Adhæc adiecimus quoq; in calce, huius libri, hanc artẽ nos eo artificio tradidisse, ut à nullo intelligi possit, nisi cui diuinitus datum sit, aut à nobis, qui eam tradidimus, in hac edoctus.

DEMO: Quid opus erat, ea scribere aut publicare, quæ à nemine intelligerentur?

GEBER. In fine, quarti libri, aperte ostendi, me hanc artem tradidisse sermone claro & aperto prudentibus, & huius doctrinæ filijs, ut diligentes artifices eam facile comprehendere & intelligere queant. Ignorantes uero admonui, ut eam fugerent, tanquam ipsis noxiam, inimicam & maxime aduersariam, quæ facile ad extremam paupertatem summamq; miseriam perducat. Si tam fideli ac paternæ admonitioni non credunt, uel eam nihili faciunt, inique nos accusant, cum omnis error illorũ ignorantiæ, & præsumptioni potius imputandus sit. Ergo si ad inopiam & miseriam isti redacti sunt, nostra culpa factum, minime putato. Nam lib. primo, cap. 5. disertis uerbis ostendimus, uili precio (si artis principia cognouerint, & ea, quæ tradidimus, recte intellexerint) ad perfectionem magisterij peruenire posse. Quid hoc aliud est, quàm fideliter commonefacere, ut pecuniã suam custodirent, & non præsumptuosi uane dilapidarent? Vt uero ea, quæ tradidimus, recte intelligant, necesse est, sermonem huius doctrinæ, nõ ex nuda litera, sed altiori indagatione considerare, & ad medullam sensus allegorici penetrare, mentemq; & intentionem nostram, hinc inde dispersam, & data opera improbis obscuratam, & uelatam, magna industria colligere, ut

tandem ad ueram cognitionem principiorum naturæ & artis perueniant.

DEMO: Si tua ſcripta recte intelligo, naturæ principia, huius artis quoq; principia ſunt. Scribis enim cap. 9. quarti lib. te poſt determinationem principiorum naturalium, etiam de principijs huius artis uerba facturũ, & particulatim loquendo, de naturalibus metallorum principijs. Cap. 12. lib. primi, dicis, principia naturalia, in opere naturæ ſpiritus eſſe fœtentes, & uiuam aquam, quam etiam ſiccam aquam nominari concedis. Hæc eadem uerba repetuntur ultimo cap. lib. inueſtigationis magiſterij, quo loco concludis, lapidem noſtrum eſſe ſpiritus fœtentes, & aquam uiuam, quam etiam aquam ſiccam recte dixerimus. Ergo quum principia naturalia metallorum, etiam artis principia ſint, neminem puto ambigere, ex recta cognitione principiorum naturalium, etiam artis principia poſſe inueniri. Quare rogo, ut certo ordine mihi naturalia principia demonſtrare uelis, ut huius magiſterij principia, mihi quoq; fiant manifeſta.

GEBER. Et hoc requirit maxime doctrinæ ordo, Propterea ſcripſimus in proœmio, primi libri, eos, qui principia naturalia in ſeipſis ignorauerint, multum remotos eſſe ab arte noſtra, cum ueram radicem non habeant, ſupra quam intẽtionem ſuam fundare poſſint. Et eodem libro, cap. 3, ſcripſimus, eum, qui non habuerit ingenium naturale, & animum, ingenioſe & ſubtiliter perſcrutantem principia naturalia, & naturæ fundamenta, & artificia, quæ naturam aſſequi poſſint, in ſuæ actionis proprietatibus, non inuenturum huius precioſiſſimæ artis & magiſterij ueram radicem. Diligenter igitur conſiderandũ, principiorum naturalium metallorum, tres eſſe differentias. Sunt enim, quædam remotiſſima, alia remota, & media mineralia, & tertia differentia immediatorum.

Metallorum principia in triplici differentia

DEMO: Diſtincte hanc triplicem principiorum differentiam explica, ut omnem naturæ ordinem, procreandis ſiue generandis metallis exquiſite comprehendam, & naturam artificio aliqua in parte imitari poſſim.

GEBER. Tametſi remotiſſima metallorum principia & radices (ſecundum operationem Hermetis) quatuor elementa creduntur, attamen cum denominatio ex prædominante fiat, minime dubitandum eſt, terram, aquæ commixtam, uerum principium & fundamentum eſſe omnium mineralium, idem affirmante Ariſtotele 4. Metheororum, qui tradidit, Metalla, quæ liqueſcunt aut funduntur igne, originem habere ex terra & aqua, quod 3. Metheo. libro quoq; confirmat: In hac ſententia ſequuntur Ariſtotelem, Auicenna, Albertus & S. Thomas, in libris mineralium & Metheororum.

Terra aquæ mixta eſt principium omnium mineralium

DEMO. Admodum deſidero intelligere iam & cognoſcere, quo pacto terra aquæ commixta, in metallum tranſmutari aut conuerti poſſit.

GEBER. Sol & omnes ſtellæ cũ fixæ tum erraticæ, lumine à Sole mutuato, terram aſſidue percalefaciunt, ſupra, infra, interius & exterius, circulari ipſorum motu, radiorum reuerberatione & ſubtilitate, præpotentecq; ui penetrandi. Quum uero omnis res combuſta ſiue excocta facile corrumpatur & tranſmutetur, & corruptio unius, alterius generatio ſit, neceſſe eſt, terram, aquæ commixtam, & longo tempore ſic exuſtam & inde tranſmutatam, tandem conuerti in aliam naturam terream. Ita uidemus, ligna & lapides, fortiter exuſta, in cinerem & calcem conuerti.

DEMO: Terra, ſic exuſta, in quam naturam terream tranſmutatur?

GEBER. Conuertitur in terræ ſpeciem, aliquid ſubſtantiæ ſalis aut aluminis in ſe habens. Id enim experientia docemur. Percipimus enim cineres, calcem, ſudorem, urinam, & maris aquam, Sole excoctam, ſalſedinem in ſe continere. Propterea diximus in principio teſtamenti, ex omni re aduſta poſſe fieri ſal.

DEMO: Quo nomine appellatur uulgo iſtud tuum ſal, in hac terra, ſic exuſta, occultatum?

GEBER.

GEBER. Vitriolum uulgo dicitur.
DEMO: Oho, generantur igitur metalla ex uitriolo?
GEBER. Ita sane, ex uitriolo & sulphure omnium metallorũ fit generatio.
DEMO: Quomodo approbas hoc, ut tibi fidem habeam?
GEBER. Certum est, omnem rem in id resolui, ex quo composita est. Quare si metalla in ipsorum priorem materiam resoluere nosti, haud dubie reducentur in uitriolũ, quod etiam aquã siccam uocari diximus. Propterea in lib. inuestigationis, cap. de uitriolo, certo affirmauimus, â diuersis metallis, diuersas uitrioli species separari posse, nobis maxime usui futuras, & in operatione huius artis summe necessarias. Illud idem confirmauimus lib. 3. cap. 7.
DEMO. Mihi uidetur (ut ingenue fatear, quod sentio) in tuis uerbis haud paruam esse contradictionem.
GEBER. Quam mihi contradictionem narras?
DEMO: Multis locis tradidisti, & scriptis tuis affirmasti, sulphur & argentum uiuum omnium metallorũ uera esse naturalia principia, quod nunc uitriolo tribuis, hoc facit me non parum suspicionsum.
GEBER. Argentum uiuum & sulphur, non esse metallorum prima principia, sufficienter probauimus, cap. 12. lib. 1. Eum locum si recte intelligis, cognosces, me manifeste tradidisse, hæc in sua natura minime uera principia metallorum, sed aliud quiddam, quod sequitur ex alteratione substantiæ, eorum in radice naturali ad substantiam terream.
DEMO: Obscurus est hic sermo: non intelligo.
GEBER. Meministi haud dubie, me dixisse iam, terram, aquæ commixtam, radicem esse, & fundamentum omnium metallorum?
DEMO: Memini.
GEBER. Hæc autem eorum alteratio, in substantiam terream, minime fit in ipsa essentia, aut substantia sulphuris, aut argenti uiui communis, Sed in ipsorum radice, scilicet, in terra, aquæ commixta, per calorem mineralem & cœlestem decocta & transmutata, ut satis aperte ostendimus.
DEMO: Nunc, si libet, etiam de medijs mineralibus, & principijs remotis pauca refer. De Medijs mineralibus
GEBER. Medium minerale, ex quo omnia metalla & argentum uiuum, & Marchasita & Antimonium generantur, est illud ipsum uitriolum, quod in terra, aquæ commixta, siue decocta & exusta, occultatum esse diximus. Et cum metalla reduci debent in ipsorum materiam primam, hoc est: Quanto propius ad naturam metallicam accedere possunt, ad naturam uitrioli & sulphuris reducenda sunt.
DEMO. Quare ex isto uitriolo metalla magis generantur, quàm ex alio sulphure aut alumine?
GEBER. Quia magis sulphureum est, & ad metalli naturam propius accedit. Ex cœlesti influxu, ipsius uirtus quoq; habilior & promptior est, ut conuertatur in metallum, consentiente & promouente loco minerali: sulphure & calore sufficiente.
DEMO: Quem mihi locum mineralem narras?
GEBER. Saxum, in quo uirtus mineralis indurandi & fixandi continetur.
DEMO: Quæ est hæc uirtus mineralis?
GEBER. Virtus hæc cœlestis est, potestatem habens procreandi metalla, occultata in certo sulphure loto, & sicut argentum lucido.
DEMO: Nullum sulphur, quod lotum & lucidum fit, ego noui.
GEBER. Animaduertisti ne aliquando, arenæ & saxis, quæ ex terra eruuntur, quasdã lucentes squamulas intermixtas esse, argento similes?
DEMO. Animaduerti sæpius, sed credebam, substantiam esse argenti.
GEBER. Erras: Sulphur est natura lotum, decoctum q̃, & pro parte fixum, habens in se naturam, splendorem & fusionem metallicam, sine hoc metalla generari nullo modo queant. Vbicunq;

cunq; uero in copia abundauerit, ibi generantur metalla, idem teſtante Alberto de Metheo:

DEMO: Naſcitur igitur uitriolum inter ſaxa?

GEBER: Minime, ſed in terra.

DEMO: Quomodo intrabit igitur ſaxa, ut ibidē inueniat dictum ſulphur lotum?

GEBER. Montes metalliferi, in profundo non ſunt petroſi, quemadmodum in ſuperficie. Quare metallici cum fodiendo terram & alumen inueniunt, ſcilicet uitriolum, non deſcendunt altius, ſed eas mineras, ſiue metalli uenas relinquunt. Sciunt enī, ibi metalla deficere. Idem aſſerit Plinius lib. 33. Accidit tamē, ut aliquando haud longe ab eiuſmodi uenis, ſiuē mineris deficientibus, aliæ, quæ metallum habeant, reperiantur.

Cum uero ex naturæ operationibus (quemadmodū lib. 2. cap. 15. aperte monſtrauimus) ſufficienter probare poſſimus, ſolum modo eas res, quæ naturam ſalis & aluminis habēt, & ſimilium ſolubiles eſſe, Manifeſtum erit, etiam noſtrum hoc uitriolum, per caloris ſubterranei uirtutem ſolui poſſe, quod ſolutum duplicem fumum exalat (ut lib. 1. cap. 12. dixi.) Quia calor commixtibilis eſt, & fortiſſime unit, ligat & compingit in ſimul ſubtile terreum, & humidum aqueum inuicem digeſta. Calor uero cœleſtis, pro ſua natura humidum aqueum ſubtile attrahendo, ſubtilis terrei etiam aliquid abducit. Quod Ariſtoteles lib. 5. Metheororum his uerbis affirmauit, cum dicit: quòd uapor humidus includēs, & uapor ſiccus incluſus, ſimul ſurſum eleuātur. Id enim accidit, ut Galenus & Auicenna affirmant, per calorem eleuantem unum atq; alterum uaporem, Quia ſemper commixtibilis eſt, & motum cauſat unius eſſentiæ in eſſentiam alterius. Iſti duo fumi ſiue uapores à Philoſophis ſulphur & argentum uiuum nuncupantur. Cum uapor terreus, ſubtilis, unctuoſus, & aliquantulū digeſtus, fit materia eſſentialis ſulphuris, quāuis nos eum Arſenici nomine appellauerimus. Humidum uero aqueum uiſcoſum, & terreo ſubtili commixtū, materia proxima fit argenti uiui, hoc affirmante Alberto lib 3. de mineralibus, cap. 4.

Sulphur

Arg. viū

DEMO: Confluunt igitur in metallorum generatione duæ ſulphuris ſpecies, ſcilicet ſulphur ex uitriolo reſolutum, & illud, quod ſulphur lotum dicis, inuentum in ſaxis & loco minerali?

GEBER. Cap. 12. lib. 1. ad calcem diximus: naturalia metallorum principia tria eſſe, ſulphur, arſenicum & argentum uiuum. De his duabus ſulphuris ſpeciebus locutus eſt Auicenna, in lib. de mineralibus atramenti nomine, dicens, Atramenta compoſita eſſe ex ſale, ſulphure & petra, &c. Quemadmodum uero uitriolo communi pannum tingitur, ita ſimilitudine quadā hæ duæ ſulphuris ſpecies, lumen & tinctura ſunt metallorum. Quare nihil erraueris, modo uitriola, ſiue atramenta nuncupaueris. Hæc cauſa eſt, quod ſupra diximus, ex metallis imperfectis, diuerſas uitrioli ſpecies extrahi poſſe, nobis quidem cum utiles tum neceſſarias. Sulphur, quod in petra generatur, ex ſulphure & petra compoſitum eſt, ſed iſtud, quod ex uitriolo reſoluitur, compoſitum eſt ex ſale & ſulphure, & in iſto latet uirtus mineralis, quorundam corporum liquabilium, quæ ex eiuſmodi ſulphure generantur. Sulphur autem in petra generatum nō ſoluitur, quia naturam ſalis non habet. Sed ſalſedo cum ipſo ſulphure ſoluitur ſimul, quæ incluſa eſt in profundo ipſius ſalis, & poſtea per decoctionem coagulatur. Hæ uero ſulphuris metallici ſpecies, iam receperunt uirtutem mineralem, generandi metalla, in quibuſdam corporibus metallicis, ſpecialiter uero in uno, in quo compræhenderunt uirtutem ferream, & uirtutē æream, quamuis interdum etiam auri & argenti naturam acquirant, & aliquando aurum aut argentum dicuntur. Quod uero in petra natum eſt, in ſuo metallo repperit uirtutem ferream, & ante lotionem rubrum eſt, ſiue croceum, ferri proprietatem habens, & ferrum dicitur. Illud uero in uitriolo aut ſale potius incluſum, ante præparationem uiride eſt, ut uitriolum commune, Et in metallo acquiſiuit uirtutem æream, & æris proprietatem, quare æs appellatur, & Venus & uiride æris. Hæ duæ ſulphuris ſpecies, artificio ex metallis extrahi poſſunt. Cum uero iſtud ſulphur, ferrum dictum, in præparatione, ut argentum,

dealbetur, & omni unctuositate adustiua priuetur, propterea Auicenna hoc aptissimum putauit, quod conuertatur in suum argentum uiuum. Cum uero uiride sulphur per præparationẽ purum & clarum reddatur cum rubedine, & in ipso sit uirtus ignea, non adurens, hoc putauit aptissimum Chymistis faciendo auro, & aurum appellatur.

DEMO: Audire gestio, quonam pacto duplex hic uapor & lapides & petras penetrare possit?

GEBER. Hæ duæ uaporosæ exhalationes, calore cœlesti attractæ, cum locum terrestrem, siue apertum inuenerint, unde exalant fuscum, attrahuntur in aerem, & ibi conuertuntur in cometas aut stellas cadentes, & circulos apparentes circa Solem & Lunam, aut in arcum cœlestem, aut in uentos, tonitrua, fulgura, nubes, nebulas, grandinem, niues, pruinam, rubiginem & huiusmodi in aere apparentia, ut Aristoteles in Metheo: tradidit, & omnes cæteri Philosophi contestati sunt. Si autem locus fuerit angustus, & constrictus adeo, ut neq; calori naturali aut duplici fumo ullus pateat exitus, tunc hæ duæ uaporosæ exhalationes, siue duplex fumus incrassescere & multiplicari incipiunt, inq; loco minerali disperguntur, per rimulas ubiq; exitum quærentes, ut Albertus tradidit in lib. Mine: Isti uapores, sic inclusi, in locis petrosis media mineralia dicuntur, siue materia remota metallorum, ut S. Thomas tradidit in fine 3. lib. Metheororũ.

Principia immedia ta mine ralium

DEMO: Restat nunc, ut etiam de immediatis principijs, tuam sententiam mihi aperias, quomodo hi duo uapores, in petram penetrantes, in metallum conuertantur?

GEBER. Cum isti uapores, saxum penetrando, sulphur lotum non inuenerint, maculatur saxum diuersis coloribus, & nullum ibi generatur metallum. Si autem hic fumus, siue uapor, in aliquam partem saxi ceciderit, altiusq; non poterit descendere in locum alium, firmatur ibi, & facit puteum aquæ, qui nunquã exsiccabitur. Si uero hic uapor, siue fumus cadat in terram rubram, conuertitur ibi in argentum uiuum commune. Sic autẽ saxa penetrando, si sulphur lotum inueniat, quasi fixum ipsum dissoluit, & hoc illi permiscet. Propterea dixi lib. 1. cap. 12. aquam, quæ per terræ meatus fluit, inuenire substantiam dissolubilem substantiæ terreæ, scilicet sulphur lotum, quod terræ pinguedo est, ipsumq; dissoluit, & se uniformiter illi coniungit, ut ex ambobus fiat una substantia naturalis, hæc commixta per successiuam decoctionem in minera inspissatur & induratur, & fit metallum. Si autem contingat interdum, me aliorum opiniones reprehendere, reprehendo eas simplici litera. Sæpe enim id præposuimus, quod postponi debebat.

DEMO: Si omnia metalla ex sulphure & uitriolo generantur, per longam decoctionem transmutata in aliam substantiã sulphuris & argenti uiui, Vnde ergo tam diuersa eorum uarietas?

GEBER. Ex diuersitate loci mineralis, & accidentium, quæ primæ materiæ minerali superueniunt, & adhuc ex diuersitate sulphuris loti & calore diuerso, qui uarijs modis digerit materiam metallicam.

DEMO: Possunt ne accidentiæ hæc superueniẽtia remoueri?

GEBER. Omnia accidentia primæ materiæ metallicæ superuenientia, artificio separari possunt, ut manifeste ostendi in proœmio libri inuestigationis, cap. de præparatione aceti acerimi, & in fine prædicti libri. Dico præterea, etiam partes indigestas posse digeri.

Principia artis

DEMO: Hæc quantum ad declarationem principiorũ naturalium, mihi sufficiunt. Nunc de principijs artis agendum, quomodo naturæ principia, etiam artis principia sint, & quo pacto ars naturam imitari possit?

GEBER. Lib. 1. cap. 5 dixi, oportere artificem cognoscere principia huius artis, & radices principales, quæ ex substantia operis pars sunt. Qui enim principia non nouit, finem non assequetur. Ergo scias, eas transmutationes & generationes, quas natura facit mediante semine aliquo, hanc eandem & artificio interueniente aliquo semine fieri posse. Quod S. Thomas quoq; affirmat in 3. lib. metheo: dicendo Alchimistas per iam

dicta naturalia principia, hoc est, per sulphur & argentū uiuū, ueram metallorum generationem posse facere. Cum igitur natura habeat suum proprium naturale semen prædictum, in metallorum generatione naturæ apte & prope accedentis, ut in metalli naturam conuertatur, necesse erit ad præparationem Elixir, quod metallum est, cætera omnia in perfectione superans, hoc fieri mediāte aliquo semine naturali proprio, sine quo solus Deus, naturæ creator, aliquid generare potest, ut ex lapide panem, ex costa uiri mulierem.

DEMO: Omnium Philosophorum opinio est, quatuor elementa omnium rerum mixtarum esse principia. Ad hanc opinionem tu quoq; accedis lib. 1. cap. 6. dicendo diuersam præparationem metallorum, causam esse diuersitatis specierum. Ergo in omni re elementata & artis & naturæ principia sunt, & ex omni re accipi possunt?

Elemēta L. P. non sunt remotissima elementa

GEBER. Si me recte capis, dico elementa, lapidis Philosophorum, non esse remotissima elementa, nec eadem cū elementis cæterarum rerum. Sunt enim hæc elementa, lapidis Philosophorū, alterata & transmutata à sua prima natura, & naturā & proprietatē acceperūt propinquā, ut iam in metallum transmutari possint, quod cæterarū rerum elementis minime conuenit.

DEMO: Accipiam igitur uitriolum cōmune, quod naturale semen est metallorum, & p̄ distillationem extraham duplicem illum fumum, quem temperato igne conuertam in substantiam sulphuris & argenti uiui, & hoc pacto imitabor naturam.

GEBER. Vitriolum hoc, principium est, ab arte remotum. Scripsi autem lib. 1. cap. 8. nos non posse naturam imitari in suis principijs. & lib. 3. cap. 2. in fine ostendi, naturam in sulphure, arsenico & mercurio minime imitabilem, hoc est, nos ea minime fugere, aut etiam dissimulare, quæ per naturam generantur, neq; eo modo ad perfectionem perducere posse. Cum enim hi fumi subtilissimi sint à natura, calore temperato inducuntur ad perfectionem in mille annis. Nos autem uehementi calore cupientes tempus adeò longum abbreuiare, omnia resoluuntur in fumum.

DEMO: Dubium me reddis, & plane incertum.

GEBER. Quamobrem?

DEMO: Prius admonuisti, ut ad compositionem Elixir acciperemus semen naturæ. Nunc uero negas, uitriolum accipiendum esse, cum tamen naturæ semen sit. Quare si fortè aliud semen aut uitriolum fuerit propinquius arti, per quod artificio naturā imitari possimus in cōpositione, id nobis Elixir ostende.

GEBER. Sine dubio aliud est.

DEMO: Vbi inueniam hoc? Elyxir ubi inuenitur?

GEBER. Vbi à natura positum est.

DEMO: Hoc sciebam. Sed quo collocauit ipsum natura? inueniam forte in re uegetabili?

GEBER. Cap. 11. lib. primi, dixi: inter diuersas opiniones eorum, qui artem esse supponunt, quosdam affirmasse, in omnibus rebus uegetabilibus hanc artem inueniri & possibilem esse, ipsis uero nequaquam. Quare citius labore deficient, quam ut possibile sit, opus perficere.

DEMO: Ergo inueniuntur in re animata?

GEBER. Arnoldus in lib. perfecti magisterij, de rebus uegetabilibus & animatis differens, inquit: Istæ res cum sint totaliter & omnino remotæ à natura metallorum, impossibile est, ex his posse generari metalla. Philosophi autem hanc artem in re aliqua uegetabili & animata, aut eorum, quæ ab his sumuntur, proponentes locuti sunt per rerū similitudines. Cū enim hęc naturæ principia nō sunt, nequaquā artis erunt principia, Hic error plures decepit. Elixir enim cum sit naturæ metallicæ, sine dubio ex metalli semine procreatur. Præterea cū maxime requiratur, ut metallis adunetur, necesse est, ut metallis in substantia simile sit, cum tantummodo res sibi similes, firmiter adunentur, & fortiter coniungantur.

Elyxir & semina metallorum sit

DEMO: Accipiam igitur sulphur & argentum uiuum, à natura generata?

GEBER. Supra monui, hæc non esse principia naturæ, Quare nec artis principia erunt, Et quod maius est, artificium hæc non

non poterit ullo modo fixa reddere, ut in unam ſubſtantiam auri uel argenti adunentur, cum ad hoc requiratur maxime certa & infallibilis menſura, & debita inſpiſſantis proportio, caloriſq; exquiſita æquatio, quæ omnia nobis ignota ſunt, ut primo lib. cap. 8. manifeſte oſtendimus.

DEMO: Accipiam igitur ſulphur ſolum, cum lib. 1. cap. 13. aperte dicas, eum qui nouerit in præparatione commiſcere & amicare hoc corporibus, hunc maximum naturæ ſecretum tenere, ipſumq; iam uiam ingreſſum aliquam perfectionis, cum multæ ſint uiæ, quæ tamen omnes ad eandem intentionẽ deducant. Eodem loco Deum teſtaris, hoc illuminari omnia: corpus, & lumen, & tincturam eſſe. Præterea eodem lib. de radicibus, de iſta aqua rubea uerba faciens exclamas, hanc lucernas accendere & illuminare domos (hoc eſt corpora metallica) & maximas opes dare.

GEBER. Quamuis noſtrum ſulphur, principale ſemen ſit, & principium metallorum, & Elixir, nihilominus quemadmodum pater mediante ſuo ſemine, non generat liberos in ſeipſo, ſed in altero, ſcilicet in ſanguine menſtruo. Sic etiam noſtrum ſulphur non generat neq; metallum neq; Elixir in ſeipſo, ſed in ſuo argento uiuo, ſeu in alio metallo. Notabis igitur, Elixir duobus modis fieri poſſe, ſcilicet, diſtillatione, ſolutione & coagulatione materiæ, Et abſq; diſtillatione, ſolutione & coagulatiõe, idem affirmante S. Thoma in fine 3. lib. metheo: Quantum uero ad ſecundum modum pertinere uidetur, dico eum artificẽ, qui ſulphur ita præparare nouerit, ut poſſit penetrare corpora, & illis coniungi, tenere iam maximum naturæ ſecretum, & uiam perfectionis ingreſſum. Præterea in quodam cap. accuratorio dixi, hoc opus abbreuiatum perfici 20. diebus, & in hoc opere duos lapides fore neceſſarios (hoc eſt duo metalla, unum ex quo extrahatur ſulphur, quaſi fixum & alteratum, cui per fuſionem commiſceatur dictum ſulphur præparatum. Dicendo autem hoc opus perſolui, uiginti dierum ſpacio, intelligendum poſt præparationem ſulphuris, quæ ad tres menſes protrahitur,

opus

opus incipiendum eſſe. Propterea in iam dicto capite accuratorio, omnẽ efficaciam huius operis in purgatione lapidis à ſua unctuoſitate & ſpurcitate collocauimus. Signum uero quomodo depræhendas ſulphur, iam ferè præparatum, loco iam citato admonuimus, dicendo: Cum uideris oleum ferri ſupra aquã, tanto candore ſplendeſcens, ut oculos perſtringat, tunc ipſum congregabis. Hoc enim quod ita collectum fuerit, omne opus facit & per ſe coagulabitur. Memini huius ſulphuris in libro teſtamenti ſub Martis nomine, dicendo: ſi hunc noueris perducere ad albedinem & molliciem argenti, firmabitur & figetur in omni iudicio ſiue examine, & cum leuiter & ſine adiutorio alicuius rei Mars funditur, habes deſideraturus. De iſto Marte uerba faciens lib. primo, cap. ultimo, dixi: Cum funditur fine medicina, quæ eius naturam maturare poſſit (hoc eſt, cum per ſe funditur ſine argento uiuo) Soli & Lunæ coniungitur, neq; facile aut citra induſtriam ab his ſeparatur. Si tamen per uehementiam ignis ſeparetur forte, fit hoc, quod ultima fixione non fit adhuc fixus. Si uero ipſi coniungatur uiginti dierum ſpacio, redditur fixus cum ipſis, & inde nullo artificio ſeparari poterit, niſi natura fixionis mutata, imperfectam autem fixionem per calcinationẽ & præparationem acquiſiuit. Natura uero ipſius fixionis mutatur per ſolutionem, in aqua mercuriali, quum Elixir nouem menſibus compleatur. Cum uero non alteratus ipſis coniungitur (hoc eſt, cum in principio Soli aut Lunæ coniungitur) neq; decoctum, tranſmutatumue in natura ſua, neq; colorem mutat, neq; tingit metallum ſibi coniunctum, ſed in quanti tate auget. Præterea lib. 3. cap. 1. dixi, cauſam perfectionis corporum ſiue argenti uiui, ſubſtantiam eſſe ſulphuris & arſenici, quia propter terreſtreitatem & bonam ſubſtantiam non impediuntur ab ingreſſu in corpora, quæ perfecta ſit fuſione bona, & per ipſorum ſubtilitatem non remouetur impreſſio, facile per fugam. Igitur ipſorum ſubſtantia mediocris, cauſa non eſt perfectionis corporum, ſiue argenti uiui, niſi reddantur magis fixa. Nam quantumuis impreſſio in ipſa corpora, non facile

D remo-

remoueatur,tamẽ niſi ultima fixione figatur,perpetuo non per-
manebunt firmiter ſtabilitata. De iſto ſulphure & arſenico lo-
cutus ſum ſub nomine Martis & Veneris,cap.8,tertij lib.dicẽs:
fixionem ipſorum ſubſtantiam proximam eſſe firmæ fixioni,ta-
men non firmam neq; perpetuam eſſe. De huius ſulphuris præ-
paratione, alio loco agemus copioſius.

DEMO: Si recte memini, reprobaſti eorum operationẽ,
lib.1. cap. 10. qui ſpiritus in corporibus figebant.

GEBER. Dixi, hoc tentatũ à quibuſdam,ſine præparati-
one ſpirituum, & tandem deſperaſſe in opere. Idem monui in
principio cap. ſupradicti.

DEMO: Intelligo,me non ſatis capacem,ut hæc compræ-
hendam. Quare dimittam ſulphur, & accipiam argentum ui-
uum, tanquam ſubſtantiam omnium metallorũ,ex quo omnia
metalla, mediante uirtute ſulphuris procreantur. Cum enim in
ſeipſo ſuum ſulphur habeat,cum quo coaguletur,ſufficit ad com
poſitionem Elixir, dicente Hermete, omnia in mercurio inueni
ri, quæ à ſapientibus requirantur,uidelicet,corpus,anima,ſpiri-
tus & tinctura. Idem affirmauimus in lib. 4.cap.10. dicendo:
medicinam, argentũ uiuum coagulans, in ipſo mercurio eſſe.
Sufficit ergo ſolus Mercurius ad compoſitionem Elixir,ut dixi
mus: Cum nulla res in natura adeo mercurio cõueniat, ut illa,
quæ in ipſo mercurio continetur. Scribis etiam lib. 2. cap. 16.
argentum uiuum ſuas partes ſulphuris habere in ſe, natura ſibi
coniunctas & unitas. Præterea appellas eum optimum & per-
fectum artificem, qui ex ſolo argẽto uiuo nouerit facere Elixir,
cum in hoc natura ab arte ſuperetur.

GEBER. Lib. 1. cap. 16. ſcripſimus: mercuriũ à quibuſ-
dam igne temperato coniunctum. Cum uero putarent,ipſum
iam coagulatum,inuenerunt eum crudum & currentẽ, ut prius
hac ratione ſtupefacti, dixerunt artem eſſe uanam, & minime
ueram.

DEMO: Cupio audire cauſam erroris.

GEBER. Cum argẽtum uiuum,duplex ille fumus ſit, ſiue
uapor exhalans, quem natura neq; coagulare neq; fixum red-
dere potuit, cum nõ haberet ſulphur illud lotum non adurens,
quod ipſius mercurij propria medicina coagulatũ eſt & fixio,
multo minus artificio reddetur fixus per ſe, abſq; illo, uel ſimili
ſulphure & medicina. Eadem eſt ſentẽtia Alberti lib.4.methe:
tractatu 3. cap. 2. qui argentum uiuum in operibus Alchemiæ
deſiccari dicit per multam aduſtionem & commixtionem cum
ſulphure, non penitus colorem, quod in operatione Elixir in-
telligendum.

DEMO: Quid de illis ſentiendum, qui mercurium rectis
herbis nouerunt reddere fixum?

GEBER. Iſtis reſponſum uolo,quod lib. 2. cap. 17. dixi:
ſcilicet, medicinam, quæ mercurium coagulare poſſit,& in pro
fundo ipſi commiſceri, ſumendum eſſe ex rebus, ipſi conuenien
tibus. Hæc ſunt omnia corpora, ſcilicet, ſulphur & arſenicum.
Hæc enim corpora & ſpiritus Philoſophorum dicuntur. Et
paulo inferius dixi, ex quacunq; re ipſius medicina ſumatur,eã
debere ſubtiliſſimæ ſubſtantiæ eſſe, & puriſſimæ, quæ mercurio
facile adhæreſcat,facilis liquefactionis, ut aqua fixa in pugna
ignis. Hoc enim coagulabit ipſum,ut conuertat in naturam ſo-
larem uel lunarem. Comprehendis igitur ex ſupradictis ratio-
nibus,noſtrum argentum uiuum, non eſſe argẽtum uiuum, ſed
ſal in ſimilitudine ueræ calcis communis, quia argẽtum uiuum,
ſiue mercurius metallorum per calcinationem & reductionem
conuertitur in ſal,ut manifeſte apparet per totum librum teſta-
menti. Hoc uero ſal commune, proprietates noſtri mercurij
habet, quas multis in locis tribuimus communi mercurio, ſiue
argento uiuo communi, ſcilicet, ut habeat multum uiſcoſitatis,
ſiccitatis plurimum,& terreſtreitatem fœtentẽ,ut ſit aqua ſicca,
& alia plura, quæ ſuo loco longius proſequemur. De iſto no-
ſtro mercurio locutus ſum lib. 2. cap. 16. dicens:ipſum habere
ſuas partes ſulphuris, ſibi naturaliter cõmixtas plus uel minus,
quæ artificio ab ipſo remoueri poſſint. Præterea dixi lib.3.cap.
7. in corporibus metallicis duas eſſe ſulphureitates, quarũ una

in profunditate mercurio est inclusa, à principio suæ commixtionis, altera uero accidentalis est, siue superueniens. Habet autem bonam quantitatem superuenientis siue accidentalis sulphureitatis, & hæc quasi fixa est, & diligenti labore haud facile tamen ab ipso remoueri potest. Eius uero, quæ in ipsius profunditate inclusa est, paruam habet quantitatem, & hoc remoueri non potest, nisi prius per distillationem corrupta prima substantia argenti uiui. Istis duabus sulphureitatibus, coagulatur & fixus redditur mercurius, iam præparatus. Propterea dicimus: Elixir ex solo mercurio fieri posse, hoc est, suis sulphuribus commixtum. Hæc autem intelliguntur quoq; de multiplicatione Elixir, quæ solo mercurio fit.

DEMO: Si Elixir ex solo mercurio fieri potest, propterea quòd suum sulphur in se habeat, ego eadem ratione ex solo arsenico, qùod ex sulphure & mercurio compositum est, ipsum parabo, Alberto dicente lib. 4. mineralium cap. 1. Nos obseruare debere, certum calidum siccum, frigido humido in eadem complexione coniunctum esse, quæ Hermophrodita dicitur, ut uidere licet in plantis, quæ in omni parte impræg natæ sunt. Loquitur autem de nostro sulphure, quòd naturã Hermophroditæ habet, & ex duobus nominibus compositum est, mercurij filium significans cum Venere. Est enim hoc sulphur arsenicũ dictum, ex mercurio & sulphure Veneris & æris nomine appellato compositum. Poterit ergo ex seipso generare Elixir.

GEBER. Generatim loquendo de Hermophroditis, dico: nec ipsos per se generare posse absq; semine aut materia extrinseca. Sunt etiam, qui dicunt: Deum, in principio Adam & masculum & fœminam creasse. Cum uero in seipso non posset generare, ab eo fœminam separatam, postea uero per coniunctionem generasse. Plato simile quidpiam fabulatur de Androgone, qui dependebat à Luna, partem habens Solis & terræ, hoc est, dependebat à nostro Sole, Saturnus dicto: & à Luna, quæ ante distillationem participabat cum Sole & terra. Simile euenit nostro arsenico: Hoc enim quantumcunq; participet de natura sulphuris & mercurij, nihilominus cum subtilia & tenera sint & ualde debilia, non sufficiunt generationi metallorum aut Elixir sine adiutorio alterius sulphuris & mercurij, ab hoc diuersi & separati. Propterea scripsi lib. 7. cap. 14. Arsenicum, materiam esse subtilem, cum oleum sit, de quo locutus sum lib. 2. cap. 12. & corpus debile sit, cuius mentionem feci cap. 11. prædicti libri. In secunda causa, siue ratione descensionis sulphuri simile est, cum sit subtilissima & maxime fixa pars sulphuris. In hoc tamen à sulphure differt, maximeq; diuersum est, quòd arsenicum sit facilis tinctura cum albedini tum rubedini. Et uolebam in eo loco ostendere, ipsum ex sulphure & mercurio compositũ esse. Quamuis enim hæc tingendi facultas facilis sit, inutilis tamen est, & parum firma. Itidem locuti sumus de arsenico, sub nomine Veneris cap. 2. libri primi, hoc appellando, medium inter Solem & Lunam: intelligo inter sulphur & mercurium, quia de uno & altero participat. Raymundus in libro ait: cuius titulus est Apertorij, de arsenico uerba faciens, dixit: animam participare cum natura, corpore & spiritu, hoc est, sulphure & argento uiuo, per quam participationem, potestatem acquisiuit, hæc colligandi inuicem. Sulphur autem in rubedinem facile tingit, in albedinem uero difficulter. De hoc sulphure sub Martis nomine itidem locuti sumus lib. 1. cap. 10. ipsum appellantes, tincturam facilem rubedinis, albedinis uero bonæ difficilem, Vt aperte ostenderemus, tincturam rubeam, quæ in sulphure facile apparet, in putrefactione utilem non esse, sed noxiam potius. Quòd uero sub rubedine albedo lateat, ut in lib. testamenti monuimus, ad quam albedinem per longam sublimationem & lotionem perueniatur, propterea tincturam difficilem appellauimus. Moricinus dicit, nostram Latonam, quantumcunq; rubra sit, inutilem esse, nisi rubedinem albedo consequatur: hoc est, nisi rubedo in albedinem confertur. Scripsimus & nos supradicto cap. de arsenico: duo arsenici genera esse & sulphuris, scilicet, citrinum & rubrum. Cum igitur arsenicum ignis expressione distillatur cum aqua mercuriali, rubrum est, Aqua

uero alba, huic ambo simul iuncta colorem efficiunt citrinum. Hæc omnia confirmat senior Philosophus, cum dicit: Philosophos ueteres animam & spiritum, qui ex hac cõmixtione exurgit, arsenicum rubrum, & citrinum appellasse, per rubrum intelligentes, animam tingentem. Similiter uocabant hanc aquã, hoc est, sulphur rubeum, & spiritum arsenicum citrinum. Quia spiritus animam dealbat, & eam suo colore inficit. Et uocabunt hanc animam, æs, & hoc est fumus grauis. Et nos diximus lib. 1. cap. 21. Venerem tingi colore citrino â tutia, hoc est, fimo illo albo. Similiter & sulphur rubrum & citrinum est, Rubrum autem post putrefactionem materiæ, Cum autem sub mercurio albo coniungitur, citrinum efficitur. Est enim citrinus color, determinata proportio rubei & albi. Propterea Tutia, quæ fumus albus est, nostri mercurij albi, colore citrino ipsum corpus rubrum inficit, uidelicet, nostrum æs, ut lib. 3. cap. 3. satis aperte ostendimus, & cap. 4. eiusdem libri dixi, illud, quòd â corporibus metallicis sublimatur ignitione forti, ut quòd ex ipsis subtilissimum fuerit ascendat, hoc est, fumus albus cum sulphure, aurum uocato, & arsenicum ipsum esse coloris citrinissimi, & cum arsenicum fixum redditur simul cum sulphure (hoc est lento igne in ultima decoctione) Sublimatio uero amborũ melior est, ex calce istius metalli, quod indicabimus. Quamuis uero & sulphur & arsenicum, medicina sit perfectiua nostri mercurij, nihilominus sine ipso Elixir fieri non potest, hoc est, sine commixtione cum corporibus. Cum uero sulphur post lotionem, squamosum, & in corpus reductum, tandem & fragile fuerit, præparatum est.

DEMO: Sulphur arsenicũ & mercurius cum fixa reddantur, non funduntur, neq; corpora penetrare possunt, quia iam terrea facta sunt. Si uero non reddantur fixa, spiritus ipsum ab igne distinguunt, ergo ex his Elixir fieri non potest.

GEBER. Hæc est una ex rationibus quorundã, qui in huius artis praxi parum exercitati sunt. Horum memini, lib. 1. cap. 10. increpando eos, cum huius rei paruam habeant notitiam, etiam, etiam operationem hanc minime absoluere posse, sed tuis rationibus fortiter insistentes, in uitium cadere, malæ consequentiæ, propter insufficientiam.

DEMO: Logicum illum sermonem non assequor.

GEBER. Vitium consequentiæ committitur, cum â superiori ad inferius arguimus affirmatiue, non enim recte concluseris, fixum esse, ergo terreum, nam hic arguẽdi modus, uitiosus est propter insufficientiam. Possumus enim spiritus reddere fixos, ut nequaquam in naturam terream conuertantur, & fundantur, & in corpora penetrare possint. Et quantũ ad sulphur pertinet, manifestum est, ex libri primi capite 10 & 13. itidem ex lib. 2. cap. 12. & 18. & lib. 3. cap. 1. & 6. de mercurio diserendo, lib. 3. cap. 6. dixi etiam, hunc posse fixum fieri, ut tamẽ in terrestreitatem minime conuertatur, cum etiam per eiusmodi transmutationem, in terrestreitatem figi possit, cum per festinam & breuem fixionem, quæ per præcipitationem fit, siue distillationẽ figatur, & in terram transmutetur, in fecibus adustis, remanentibus in fundo uasis siue bocciæ. Et hæc est transmutatio festina, primæ formæ mercurialis, quæ in sex horarum spacio perficitur. Terrestreitate uero remota, per lotionẽ coniungit se, & unitur cæteris spiritibus præparatis. Positus uero in suo uase, ad ignem lentum, uapores ab eo sæpius successiue, siue sensim ostendunt. Hac uero longa & tarda confirmatione & fixione, fusionem metallicam non perdit, neq; in terram conuertitur. Lib. 2. cap. 6. diximus: hunc mercurium duas possidere humiditates, unã, quæ ab eo remoueri possit ignis uiolentia, hoc est, per distillationem, per ignis expressionẽ, & hoc, quod in fundo uasis remanebit, non funditur, fixum enim iam & terreum est. Terrestreitate uero per lotionem remota, altera humiditas, in ipso remanens, suo igne remouetur, scilicet, igne lento, qualis conuenit ultimæ fixioni spirituum. Quantum uero ad præparationem & fixionem aliarum rerum, naturæ terreæ pertinet, figuntur corpora metallica, per calcinationem, ut manifeste ostendimus libro primo, cap. 18. dicendo: per calcinationem

nem corpora imperfecta figi, citra commixtionem alicuius rei, qualiscunq; sit in calcem redacta, solo suo sulphure proprio aduſtiuo, siue exurente. Igne enim aduritur & calcinatur omne, quod in se sulphureitatem aduſtiuam habuerit, ut libro 2. cap. 13. & lib. 3. cap. 6. satis aperte ostendimus. Cum igitur tuum metallum, tantũ temporis in igne perdurauit, ut in suum corpus, quemadmodum prius fuerat, reduci non possit, neq; diminuitur aut colorem mutat in colorem, scias iam fixum esse, hoc est, conuersum in certam naturam terream, quæ facile ignẽ perferet, non fusionis metallicæ, sed uitrificatoriæ solum, Et tũc omnes spiritus, in ea calce existentes, fixi sunt, & nisi separati & uolubiles facti & postea fixi, præparari non possunt. Propterea considerabis, quomodo figantur per conuersionem in naturam terream, & inde manifestum erit, quomodo præparari possint. Cum uero hac fixione, non omnes in simul reddantur fixi, nec eodem modo, propterea nobis distincte de his differendum erit. De mercurio autem hactenus satis: Iam de arsenico & sulphure uerba faciemus. Prius diximus, per calcinationem, mercurium metallorum, conuerti in sal, Cum uero hoc sal multum terreſtreitatis habeat, inde certam fixionem acquisiuit. Idem de arsenico dicimus, quòd sulphur subtilissimum est, naturaliter in ea terra profundissime inclusum, Propterea in certa fixione adeò firmiter compinguntur, ut ab ea terra separari non possit, nisi per distillationem, cum forti expressione ignis. Dixi igitur lib. 2. cap. 7. cum fieret mentio huius mercurij, in sal conuersi, Cum uideris eum albissimũ, & à sulphureitate, & rubedine quasi extrinseca separatum: reiterabis sublimationem, sine fecibus, hoc est: distillabis ipsum, citra adiectionem fecis, cum in seipso sufficientes feces, & potius superfluas habeat. Id enim facile intelligitur, ex difficultate distillationis, quemadmodum lib. 2. cap. 9. monui. Nam ipsius pars fixa, nisi corrupta & distillata fuerit, uidelicet supradictum arsenicum firmiter adhærebit fecibus, hoc est, terreſtreitati, adeo, ut aliter separari non possit. Fecimus autem sæpius huius terreſtreitatis mentionẽ, in pluribus locis ipsam appellantes sal, ut facile ex nostris scriptis colliges.

DEMO: Ostende mihi iam, quo modo sulphur reddatur fixum.

GEBER. Sulphur, fixum non redditur, nisi in calcem redigatur prius, commixto autem sale, facilius calcinatur & fit perfectum, ut cap. 13. lib. 1. ostendi. Et Albertus lib. 3. de mineralibus, cap. 2. confirmat. Inquit enim, nos uidere in operibus Alchimiæ, in quibus natura maxime imitatur artificio, inter cæteras artes omnes, cum alio modo Elixir, citrinũ fieri non possit, nisi ex sulphure. Ipsum uero sulphur, adeò unctuositatis & uirtutis adurentis particeps fit, ut omnia metalla denigret & adurat, quibus superinijciatur: tandem inuentum modum lotionis cũ aquis acutis, & ut decoquatur tamdiu, donec omnis unctuositas aduſtibilis, ipsum relinquat & tantummodo subtile unctuosum permaneat, quod ignem perferre possit. Fiunt autem acutæ, lotione cum suo sale, & aceto distillato. Hæc enim lauant & mundificant nostrum sulphur, & remouentur deinde ab eo. Propterea dixi in proœmio libri 2. eas res, quæ corpora absq; cohærentia mundificãt, naturam habere salis, aluminis, nitri, & boracis, quibus designare uolebam, ipsum sal, quemadmodum etiam per corpora ipsum sulphur, siue plures sulphuris species intelligendas uolui: Diximus adhæc lib. 3. cap. 13. Cum omnia salia, alumina, & uitrum (hoc est, supradictum arsenicum) funduntur siue soluuntur longe aliter, quàm ipsa corpora (scilicet sulphuris species) ab ipsis separantur, cum tantũmodo corpus, hoc est, sulphur purificatum, separatum fuerit.

DEMO: Vt mihi uidetur, loco supradicto præparationem Iouis & Saturni docuisti?

GEBER: Tuam simplicitatem agnosco, cui quis facile imponeret, nam parum animaduertisti, me dixisse iam: Iouem & Saturnum, unum corpus esse, hoc est, unum sal calcinatum, in similitudinem calcis ueræ, supra quod non opus est, proijcere aquam salis, aut aluminis, neq; uitrum nostrum, hoc est, arsenicum, cum omnes ibi res naturaliter sint unitæ. Præterea dixi, in

procœmio, líbri inueſtigationis, eas res, quæ præparationem adiuuant & promouent, eſſe ipſum ſal, & alumen, & atramentum & uitrum, acetum acerrimum & ignem. Propterea ut eodem líbro, cap. de præparatione Iouis, & cæteris ſequẽtibus tradidi, quòd ignis mouet & conſumit ſubſtantiam fugitiuam, & inflammabilem, hoc eſt, lauando multum cum ſale communi, (Commune autem dico, quòd omnibus metallis ſit commune) & cum aceto acerrimo purificato. Itidem líb. 2. cap. 13. ſcripſimus, in hanc ſententiam, de iſtius ſulphuris præparatione & calcinatione, uidelicet, accendi ignem, in fornace ſub uaſe calcinatiõis, tantæ potentiæ, ut ipſum corpus, hoc eſt, ſulphur fundatur, ut calcinari poſſit. Quâmprimum uero ipſum corpus, fuſum in aceto, & ſale, cum calore ignis, pelliculam nigram ſupra ſe creauerit, quod ſulphur eſt, iam in calcem redactum, remouendam eſſe à ſuperficie, & ad fundum uaſis protrudatur, cum ſpatula ferrea, ſiue lapidea. Notabis autem, pelliculam hanc nigram, ſulphuris calcinati palam ferream dici, cum iſtud ſulphur dicatur ferrum, quod iam in ſubſtantiam terream conuerſum eſt, neq; funditur aut aceto magis aſpergitur, ſed in fundo uaſis permanet fixum. Ipſius præparatio tamẽ nondum finita eſt, cum nondum penitus ab eo remota ſit omnis unctuoſitas & terreſtreitas. Pellícula hæc quoq; pala lapidea nuncupatur, cum ex Philoſophorum lapide generetur. Continuatur autem hæc pellicularũ detractio & ſubmerſio, donec totum ſulphuris corpus in puluerem redigatur. Hoc autem propterea dico, quòd omni die pellicula una creatur. Sunt autem iſtæ pelliculæ, ipſum oleum ſulphuris. Si uero Saturnus (hoc eſt, ſal album, à ſulphure ſeparatum) fuerit præparatus, maiorem ignis uehementiam requirit, hoc eſt, ut diſtilletur per cineres, cum ignis expreſſione, ſulphur autem balneo præparatur. De hac uero pala, ſiue ſpatula ferrea, ſiue lapidea, quam ſupra pelliculam nigram appellauimus, itidem de iam dicta fixione copioſe differui, cap. 18. líb. 2. & in líbro inueſtigationis, cap. de præparatione Iouis. Líbro autem 3. cap. 14. hanc palam ferream, bacculum ferreum nuncupauimus. Totam uero hanc operationem, & breuem praxin tradidi líb. 1. cap. 8. ſublimationem noſtræ calcis deſcribens ſub nomine Marchaſitæ, cuius duos ſublimationis modos poſui, Primum, qui ſine ignitione fit, hoc eſt, primo in fimo, deinde, in balneo, alterum qui cum ignitione fit, hoc eſt, ipſum ſal diſtillando. Cauſa uero huius duplicis ſublimationis, eſt ipſius ſubſtantia duplex. Prima enim ſubſtantia, eſt ſubſtantia pura ſulphuris, in ſua radice, altera ſubſtantia, eſt utilis, ut mercurius mortificatus, ſcilicet, ſupradictum ſal. Prima ſubſtantia utilis eſt, ut arſenicum uiuum mortificatum, hoc eſt, mediocriter præparatũ. Mercurius enim communis, utilis non eſt, quia, ut Albertus in líb. de mineralibus teſtatur; cum non mortificetur alijs rebus, non bene commiſcebitur. Accipiamus igitur, hanc ultimam, noſtri mercurij ſubſtantiam. Per hanc enim excuſamur, ne nobis mercurius communis aſſumendus ſit, qui multum laboris & induſtriæ requirit, ad ſui mortificationem. Totus autem ſublimationis modus Marchaſitę, in hoc conſiſtit, ut ſubtiliter tritum ponatur in Aludel, cum aceto diſtillato, & ſublimetur ſulphur ab eo, citra ignitionem, in ſolo fimo, & poſt putrefactionem, in balneo ſemper remouendum ſulphur, quod ſæpius eleuatur, in forma pelliculæ nigræ. Cum uero ſulphur & acetum, remota fuerint à ſale, & ipſum impoſitum fuerit ſtoriæ luto oblinitæ, augeatur ignis ad ignitionem uaſis aludel. Debet autem prima Marchaſitæ ſublimatio, fieri in uaſe ſublimationis ſulphuris, donec ſulphur, à ſale ſeparatum, ſit in balneo. Erit autem uas putrefactionis calcis & calcinationis, & lotionis ſulphuris idem. Deſcripſi autem huius uaſis formam líb. 2. cap. 10. his uerbis: In fundo uaſis, aludel, non ſit magna quantitas corporis ſublimandi. Multitudo enim calcis, reducta in puluerem, aggrauat & impedit ſublimationem ſulphuris. Hoc uas itidem in fundo planum ſit, & paruæ concauitatis, ut corpus Marchaſitæ æqualiter & ſubtiliter ſpargatur, ſupra fundum uaſis, ut æqualiter & copioſe ab omni parte ſulphuris & ſalis materia ab aceto ſublimari poſſit, & liberè in altum aſcendat, poſt remotionẽ

ſulphuris, quòd Mars appellatur, ſal diſtillandum eſt, in uaſe ignitionis, donec inde extrahatur omne ſuum ſulphur, quod arſenicum dicitur. Præterea notabis, cum totum ſulphur, quod Martis nomine appellari diximus, ſublimatum fuerit, per multas pelliculas, deinde apparere ipſius colorem uerum, hoc eſt, albiſſimum. Poſt ſeparationem uero aceti, unctuoſitas à ſulphure ſeparata aduritur, ut ſulphur. Illud uero, quod poſt lotionem ſublimatur, non inflammatur (ut lib. 2. cap. 2. diximus) neq; præ ſe fert aliquam ſulphuris proprietatem, ſed potius argenti uiui, ſiue mercurij mortificati. Quare lib. 3. cap. 2. propè finem, & cap. 18. de lotione mercurij uerba faciens, uolui ſubintelligi lotionem huius ſulphuris. Hanc ſulphuris præparationem, antiqui ſub fabula, de Hercule & Antheo occultauerunt. Nam ut Macrobius tradit, ueteres per Herculem Solem ſignificarunt, hoc eſt, noſtrum arſenicum. Per Antheum uero, terræ filium, ſulphur noſtrum intelligitur, quod terræ pinguedo eſt. Hi duo finguntur luctari, cum in uaſe commixta in aceto buliunt, ſunt enim poſt putrefactionem ſimul iuncta. Cum uero ipſum ſulphur, Martis nomine appellatum, cum ſale præparetur, ut ſupra dixi, propterea etiam arſenicũ præparari poterit, quod in profundo cum ſale commixtũ eſt. Hoc enim demonſtrare uolebam lib. 3. cap. 16. Martem, hoc eſt, ſulphur præparari, per ſublimationem arſenici. Cum uero arſenicum, ſale cõmixtum, fortius ſit, & ſic ſulphur Anthei nomine ſignificatum, in calcem redigat, & in maturam terream conuertat, fictum eſt Antheum in terram proſtratum. Cum uero hoc modo ſulphur perfectius fiat, magiſq; figatur & lucidius reddatur, finxerunt, Antheum proſtratum recuperatis & augmẽtatis uiribus, ſemper fortiorem reſurgere. Hercules uero, hoc eſt, noſtrum ſal, cum aqua mercuriali diſtillatum, quæ per Iunonem & elementum aeris ſignificatur, ſoluit, attrahit, & ſuſpenſum tenet dictum ſulphur præparatum, in ipſa aqua & decoctione nigro colore inficit, quod etiam in patefactione poteſt intelligi, ut ex ſequentibus, cum de eleuatione corporum diſſereremus, patebit.

De

De iſta ſulphuris præparatione, etiam locutus eſt Albertus in 3. lib. de mineralibus, cap. 1. & 2. & in ſecũdo tractatu, cap. 5. Præterea ſcriptum eſt in lib. de uaporibus, arſenicũ, ſiue auripigmentum, duas habere unctuoſitates, quemadmodum & ſulphur. Remouetur autem ab ipſo, una iſtarum duarũ unctuoſitatum, lotione in urina, lixiuio, aceto & lacte caprino. Sunt enim iſtæ lotiones acutæ, & unctuoſitatem ab eo auferunt. Per iſtas lotiones acutas, intellige acetum cum ſale. Auicenna in epiſtola ad Harſ: Philoſophum ſcribit; magna diligentia contendiſſe ſe, ut à ſulphure & arſenico totum hoc auferret, quod argentum denigrat. Cum uero ſulphur præ cæteris mineralibus omnibus melius ſit, tandem uiam ad hoc inueniſſe ſe, ſcilicet, ut decoquerentur lento igne, nec tamen uirtus ignea in ipſo aduratur, ſed potius extrahatur, & uirtuti igneæ & ſulphuris ſubſtantiæ per ignem nihil detrahatur, ſed ſola unctuoſitas conſumatur. Præſtat autem ſulphur cæteris ſpiritibus metallicis, quòd magis fixum ſit, & tinctura rubedinis. Per argentũ uero, quod unctuoſitate ſulphuris decoquatur, intelligitur albedo, ſub rubedine ſulphuris occultata. Raſis in lib. de diuinitate, huius præparationis mentionẽ faciens, iubet oleum auferre ſpongia, quod ſupernatauerit, tam diu, donec nulla nigredo appareat magis, & rotunda nubecula aſcendat, quæ relinquenda eſt, donec ipſius ſublimatio ſit firmata, deinde unam nubeculam poſt aliam accipiendam, & in aquam ebullientem ſubmergendam eſſe, donec omnes nubeculæ fuerint conſumptæ, has enim ſulphuris oleum eſſe ſcito. Eſt autem huius ſermonis uerus ſenſus, ut intelligamus, quâmprimum pellículæ ſupra acetũ eleuatæ fuerint & firmatæ, tum leuiter uas mouendũ eſſe, aut quouis alio modo pellículæ, ad fundum propellendæ, & hoc in ſingulis pelliculis, quæ eleuantur, fieri debere, donec appareat, ipſas mundatas & purgatas eſſe.

DEMO: Miſſa faciemus hæc pauliſper, nondũ enim mihi aperte demonſtraſti, unde & ex qua materia iſtos ſpíritus accipiam, & perueniam ad principia naturalia, arti noſtræ propinqua.

GEBER. Tuæ cogitationes non erunt uanæ, ſi exiſtimaueris, principia hæc naturalia, digeſta, coagulata, & quaſi fixa, noſtræ arti propinqua, & ut in ſubſtantiam ſulphuris & argenti uiui ſiue etiam mercurij conuertãtur aptiſſima, in ulla re inueniri poſſe, quàm in ipſis metallis.

DEMO: Certe idem dicere uolebam, unũ tamen eſt quod me ſuſpenſum tenet.

GEBER. Si mihi animum tuum aperires, facile omnem ſuſpitionem tibi eximerem.

DEMO: Audiui: Elixir uegetabile, animale, & minerale eſſe, quomodo fit igitur ex metallis, quorum ſubſtantia mortua eſt, neq; ſimile ſibi generare poteſt?

GEBER. Elixir uegetabile dicitur, creſcit enim per multiplicationem in uirtute & quantitate. Animale uero dicitur, quod proiectum ſuper metalla, ea ſibi ſimilia faciat. Minerale autẽ dictũ eſt, quod ex mineralibus ſine metallis fiat, & adhuc, quòd aurum & argentum generare, ſit metallorum ſingularis proprietas. Poſſunt tamen & Elixir & lapis noſter metallicus uegetabilia dici, propterea quòd generata ſunt è ſale, quod uegetabile dicitur. Hoc enim generatum eſt uirtute caloris, & uegetare dicitur omnes res, aut quòd iſtud ſal primo uiride faciat, ut herba ſiue planta: Et uitriolum hanc ob cauſam, & aquam uiuam appellauimus. Animata uero propterea dicũtur, quòd in eorum compoſitione anima interueniat, hoc eſt, tinctura, quæ arſenicum dicitur & æs, de quo in lib. cui titulus eſt: Turba Philoſophorum: ſcriptum inuenies, noſtrum æs ſimile eſſe homini, qui animam, corpus & ſpiritum habeat, tinctura rubea dicitur anima. Subſtãtia uero ſulphurea & quaſi fixa, corpus eſt. Spiritus uero dicitur natura uolatilis, antequam figatur & firmetur. Dicuntur autem mineralia, quòd metallica ſint, aut quòd in ſe ſulphur illud habeant, in quo uirtus metallica conſiſtit. Ariſtoteles in epiſtola ad regem Alexandrum, iubet ut lapidem uegetabilem animalem & mineralem accipiamus. Videmus autem Alchimiæ artifices, ex metallis medicinas plus aut minus facere perfectas, quibus tranſmutare & tingere nouerũt metalla quædam in auri & argenti colorem. Cũ uero in omni genere, in quo iſti gradus perfectionis inueniuntur, neceſſe eſt peruenirí ad unum ſingularem, qui ſupremum & perfectiſſimũ gradum teneat perfectionis in eo genere, ut Ariſtoteles affirmat lib. 10. Metap. Erit quoq; in hac arte neceſſariũ, ut inueniamus unam medicinã metallicã perfectiſſimam, quæ tranſmutare poſſit metalla imperfecta, in uerum aurũ & argentũ, propterea quòd hæ res, quæ in ſubſtantia affinitatẽ habent per mutuã corruptionem, una in alteram tranſmutari poſſit, ut uidemus in commixtione elementorũ. Cum uero omnia metalla (ut ſupra oſtendimus) ex una & eadem ſubſtantia generata ſint, & nulla differentia inter ipſa ſit, præter accidẽtia, & maiorẽ minoremũe digeſtionem. Ergo accidentia remouendo, & partes indigeſtas ſufficienter digerendo, unum in aliud, quod ſuper cætera perfectiſſimum fuerit, tranſmutari poterit. Et in hoc artificium, naturæ operationem uincit. Artificium enim poteſt metalla intime purgare, quòd natura non poteſt aſſequi. Eadem eſt ſententia S. Thomæ. Is enim in principio quarti libri Metheo: dicit metalla tranſmutari poſſe unum in aliud, cum naturalia ſint, & ipſorum materia eadem. Propter hanc cauſam poſuit Hermes circulationem inter metalla. Ego quoq; multis in locis monui, hanc medicinam ex metallis fieri debere, & hoc omnes Philoſophi affirmant.

DEMO: Tam euidentiſſimis rationibus & argumentis adducor, ut tandem credam Elixir, ex metallis faciendum eſſe. Debet autem ex omnibus ſimul, uel ex uno ſolo fieri?

GEBER. Cap. 5. libri primi dixi, artem noſtram ad finem perfectionis non perduci, rerum copia ſiue multitudine, cum ea ſit unicus & ſolus lapis & materia unica, in qua totum magiſterium conſiſtit, cui nihil omnino adiũgitur aut ab ea aufertur in aliqua parte, exceptis ſuperfluitatibus, quæ in præparatione ſeparanẽ. In hanc ſententiã loquitur Hali Philoſophus dicendo, totũ artificiũ in uno lapide contineri, cui nihil adddatur aut cõmiſceatur

miſceatur in toto aut in parte, hũc à Philoſophis & ſapiẽtibus in opus aſſumi, & ignem ab eo exhalare, donec opus perficiatur. Morigenus idẽ teſtatur, dicit eñ omne hoc, quod à Philoſophis requiratur, unam ſolam eſſe rem, patrem & matrem habens, & ab ipſis creatam & nutritam, & ſuijpſius eſſe patrem & matrẽ.

DEMO: Hoc quid ſit nunquam diuinabo.

GEBER. Dixi prius in metallorum generatione, ſulphur tanquam patroni ſeminis uicem gerere, Mercuriũ autem menſtrui fœminei. Præterea Senior Philoſophus ſcriptum reliquit, eam rem, quam Philoſophi quærunt, unam rem eſſe, quam omnium rerum rubearum nomine appellauerunt, & omnium corporum & ſpecierum quæ manibus hominum tractantur. Alio loco idem dicit, lapidem Philoſophorum unum eſſe, qui in ſe habeat omnem naturalem præparationem, & omne id, quod ipſi neceſſarium ſit, de corpore, de ſole, aqua, ſpiritu, anima & tinctura. Dicit præterea Arnoldus in epiſtola ad regem Neapolitanum, lapidem Philoſophorum eſſe rem unam & unius naturæ, & in ipſo contineri omne id, quod ſibi neceſſarium eſt, & in ſe quoq; habere illud, à quo melioratur. His grauiſſimis Philoſophorum ſententijs uictus, ſine dubio credis, Elixir fieri debere ex una ſola re radicali, ex uno metallo ſolo, quod lapis dicitur, eam ob cauſam, quòd in formam lapidis reductum ſit, fiunt præterea ex iſto lapide gemmæ & medicinæ, quibus primi patres uitam adeo longæuam produxerunt, hoc eſt, quinta eſſentia & aurum potabile. Fiunt enim hæc omnia ex eadem materia, quemadmodum à Raymundo traditum eſt, in libro ſecretorum naturæ & in cœlo philoſophico.

DEMO: In procœmio libri inueſtigationis dicebas, Elixir ex multis corporibus, ſiue ex multis rebus fieri.

GEBER. Eodem loco huic obiectioni reſponſum eſt his uerbis: Ex quacunq; re fiat Elixir album aut rubrum, tamen in ipſo non eſt aliud, præter ſulphur & mercurium, ex quibus rebus niſi ambo fiant coniuncta, nulla alia re fieri poteſt neq; perſe eſſe. Cum igitur unum alteri ita firmiter inſit, manifeſtũ erit,

Elixir

Elixir non ex pluribus, ſed ex uno ſolo metallo fieri, cum omnia ex ſulphure & mercurio compoſita ſint. Dicitur autem Elixir ex multis rebus fieri, propterea quòd ex ſulphure, arſenico & mercurio componatur, cum quibus quemadmodum etiam cum diuerſis coloribus, in ipſorum præparatione apparẽtibus, multæ res quandam ſimilitudinem habeant, tamen negare non poſſumus, in opere breuiori, ubi plures uiæ ſunt, ibi diuerſa metalla poſſe concurrere. Verum in opere maiori unum ſolum, uirtutem & potentiam propinquam habet, ut in Elixir conuertatur. Propterea dixi lib. 2. cap. 2. ſi ſpiritus ſublimaueris ex calce alicuius metalli, ſublimationem facilem, aliâs uero difficillimam eſſe, & plurimi laboris & longi temporis, adeò ut ad deſperationem ferè perducat incautos.

DEMO: Præfertur igitur in hoc opere cæteris metallis aurum?

GEBER. Ob quam cauſam?

DEMO: Quod cæteris metallis uirtuoſius & perfectius, minus corruptibile & combuſtibile ſit, fuerunt enim ſuæ partes ſubtiliſſimæ homogeneæ & puræ, ſic unitæ & cõpactæ, ut pars terreſtris à combuſtione per humiditatem defendatur. Humidum uero adeò firmiter à terreſtreitate comprehenſum eſt, ut in fumum per uaporationẽ minime exhalare poſſit. Cũ igitur per ſe adeò firmiter omni corruptioni reſiſtat per diſtillationẽ ad ultimam puritatem, & ad extremam ſubtilitatem & ſimplicitatem reductum, multo incorruptibilius erit, & in potabilem ſubſtantiam conuerſum longiſſimo tempore corpora humana à corruptione conſeruabit, & hic eſt ſcopus & fundamentum eius libri, quem de ligno uitæ ſcripſi. Hac ratione medici auro utuntur in multis morbis, præcipue uero in atrabilarijs & in tremore cordis, nec tu mihi uideris ab hac ſententia diſſidere, cum 17. cap. primi libri, auro uim lætificandi cor tribuas, & quòd corpus in longa iuuentute conſeruare poſſit. Hac ex cauſa ueteres Poetæ finxerunt Phœbum ſiue Apollinem inuentorem medicinæ fuiſſe, & herbarum uires homines primum docuiſſe.

Nec putabis citra rationem factum, quòd aurum cæteris metallis præferendum diximus. Verisimilius enim est, Elixir ex auro, quàm alio metallo fieri, cum hoc cætera metalla in aurum transmutare debeat, facilius enim transmutantur inter se, quæ aliquam cognationem siue affinitatem habent, quod Aristoteles quoq; affirmare uidetur. Dicit enim in 7. Methaph: omne generatum ex suo simili generatum esse. Tu quoq; affirmas lib. 1. cap. 17. aurum tincturam esse rubedinis, & aurum corpus transformare & tingere posse, propterea plures Philosophi aurum fermentum rubedinis uocant. Perfecta autem corpora, perfectiora fieri, & ad subtilitatem & spiritualitatem reduci posse, tu ipse affirmasti in lib. inuestigationis circa finem.

GEBER. Satis acutè & ingeniosè Philosopharis, sed auri naturam non satis probè consideraſti, Nam (ut lib. 3. cap. 4. tradidi) cum aurum ex subtilissima & clarissima mercurij siue argenti uiui substantia generatum sit, parum sulphuris habens, & rubedinem puram, tum fixum & clarum & à sua natura sit, ipsum tingente, Quare sulphur hanc qualitatem minime seruare poterit, nisi ad ultimam formam & permanentem tincturam peruenerit, ut Elixir. Ergo neq; natura neq; arte mutabitur, aut aliquo modo per se debitè meliorabitur absq; commixtione alterius tincturæ, Et si fortè aurum præparatione aliqua colore augeatur, hoc fit ipsa tinctura, intra aurum occultata, foras pertracta, Et si hanc à suo mercurio separaueris, tantundem mercurij cũ eo tingebis & non plus, hoc idem affirmante Agrippa, propterea quòd aurum non habeat plus tincturæ quàm ad tincturam sui mercurij opus sit, ut Arnoldus in Rosario tradit, quare uanum esset hanc tincturam in auro quærere, cum in eo tam pauca sit quantitas & ipsius utilitas nulla. Propterea dixit Albertus libro tertio de mineralibus cap. 7. Alchimica operatione aurum non permutari. Et hæc est ratio ueterum Philosophorum, & antiquorum quorundam Alchimistarum, auri speciem tantũmodo formam esse metallorum, cætera uero metalla omnia, incompleta, ea uero in uia esse ut ad speciem auri accedere

dere possint, ut res incompleta quæ in uia est ut ad perfectionẽ perueniat. Propterea dixerunt imperfecta iuuari posse artificio, ut tandem ad perfectionem peruenirent, quemadmodum semina adiuuantur terræ cultura, aurum uero cum determinatum & completum sit magis, conuertibile non est in aliud metallum. Nam Aristotele & ipsius cõmentatore affirmantibus lib. 7. primæ philosophiæ, nulla res mouetur ad formam aut perfectionem nisi prius aliquam partem imperfectam illius formæ in se habuerit ad quã moueatur. Nouimus enim sperma semen non moturum ut formam hominis acquireret, nisi prius in se hominem in uirtute contineret, si enim hoc, iam homo esset completus, non esset principium motus sed potius quietis. Propterea dicit Aristoteles existente specie in materia cessat motus. Fit enim motus per priuationẽ speciei quæ est in ipsa materia. Cum enim à natura ita comparatum sit, ut imperfectũ in quantum imperfectum est, naturaliter desideret perfectum fieri. Igitur priuatio in ipso relinquit naturale desiderium ut fiat perfectum. Hoc autem desiderium, principium est transmutationis, ut Rogerius Bacho tradidit. Ergo quum aurum in specie metallica perfectum sit, in se hanc priuationem & desideriũ hoc non habebit ad formam & speciem metallicam.

DEMO: Concedo aurum cõmune perfectum esse in sua specie comparatum, uero ad Elixir imperfectum erit, uincit eñ naturæ operam artificium.

GEBER. Dico aurum perfectius esse metallũ quàm Elixir, hoc enim quantumcunq; firmiter in se retineat substantiam metallicam, propterea tamen metallum non est, cum sit fragile, & ex solis spiritibus compositum, & eius tinctura communem tincturam metallicam excedat.

DEMO: Cum ad compositionem Elixir unicum metallum requiratur, solũ & maxime necessariũ fit, q̃ accipiam spiritus auri, qui mundi, puri & fixi sunt, cæterorum uero metallorum immundi & uolatiles.

GEBER. Et hoc certissimum indicium est, istos spiritus

auri

auri, eos non esse de quibus scripsi in omnibus libris meis de Alchimia. Diximus enim mercurium, sulphur & arsenicum ante præparationem spiritus esse immundos, combustibiles & uolatiles, præterea tradimus quomodo à terrestreitate, aquositate, sulphuritate, unctuosa & adurente repurgare possint, hæc autem in auro non inuenies. Scribit præterea Albertus lib. 3. de mineralibus cap. 6. metallum à metallo generari non posse, hoc est, species permanebit in prima substantia metallica. Quare ergo capite prædicti libri non citatur author isto modo procedere, inquit, scilicet, ut corrumpendo & remouendo aliquid in sua specie, cũ adiutorio eorum quæ sunt in natura metallica, inducant speciem alterius metalli. Propterea inter omnes Alchimisticas operationes eam tum meliorem tum principalem esse, quæ per eadem principia procedat, ꝑ quæ ipsa natura procedit. Quemadmodum per præparationem sulphuris, per dectionem & sublimationẽ & purgationẽ argenti uiui siue mercurij. Isti uero qui metallis albis dealbant, & citrinis citrino colore inficiunt, remanente prima specie metalli, sine dubio impostores & deceptores sunt, necꝫ uerum aurum siue argentum facere possunt. Præterea dicit Aristoteles, ueram transmutationẽ metallorum fieri non posse nisi reducantur prius in materiam primam, hoc est ad naturam salis siue uitrioli, quod citra calcinationem minime fieri potest, ut in libro Testamenti satis aperte docuimus. Cum autem argentum debite calcinari non possit, ut lib. 3. cap. 9. diximus, cum uera calcinatio fiat absq; cõmixtione alicuius rei, nisi cum proprio & innato sulphure combustibili, ut lib. 1. cap. 13. & lib. 3. cap. 6. diximus, Istud uero sulphur combustibile in auro non sit, ut lib. 4. cap. 15. sufficienter ostendimus, igitur aurum debite calcinari non poterit, rationẽ hanc descripsimus lib 3. cap. 6. dicendo eam rem cui conuenerint tres causæ corruptionis loco supra citato, enarratæ, maxime corruptibile esse, in quo uero omnes minime conueniant uelocitatem corruptionis remitti, quantum ipsæ dictæ causæ remittunt, in auro uero harum causarũ nulla est, quare ita ut decet non

non corrumpitur. Propterea diximus lib. 3. cap. 4. aurum habere substantiam fixam & absq; sulphuritate comburente, ut per omnem operationem ipsum in igne facile cognoscimus, nã necꝫ minuitur necꝫ inflammatur. Propterea frustra quis tentaret aurum citra aliquam rem extrinsecam calcinare, diximus igitur lib. 1. cap. 17. aurum calcinari & solui absq; utilitate.

DEMO: Arnoldus in libro perfecti magisterij dicit reductionem metallorum in materiam primam facilem esse, igitur transmutatio quoq; facilis erit.

GEBER. Arnoldus de auro communi non loquitur, hoc enim nisi cum magna difficultate destruitur propter suam fortem compositionem, ut lib. 1. cap. 8. & lib. 2. cap. 7. ostendimus, quomodo ex quibus metallis noster Mercurius extrahi debet, & quantumuis in eo loco aurum minime aperte à nobis excludatur, concedendo tamen sublimationem mercurij commodiorem esse, ex metallis cum quibus minime conueniat. Certissimum uero est mercurium cum omnibus metallis minus cõuenire quàm cũ auro, ut lib. 3. cap. 2. & 4. ostendimus. Quare Mercurius ex cæteris metallis præter aurum multo cõmodius extrahitur. Quo pacto enim Elixir ex auro fieri poterit, cum omnium Philosophorum consensu hoc ex materia uilissima fiat? ut Morigenus Philosophus aperte his uerbis ostendit, cum dicit huius operæ necessaria minime comparanda esse precio, ea præcipue uero in operatione auri.

DEMO: Quid respondes ad meam scrutationem?

GEBER. Dico humidum radicale reliquorum metallorum æque uirtuosum & incorruptibile & incõbustibile esse ut auri. Quod Albertus nobiscum affirmat, lib. 3. cap. 2. de mineralibus cum dicit, Vidimus omnia metalla etiam in uehementissimo igne retinere humidum radicale. Idem confirmauimus nos in lib. 1. prope finem. Nostri medici aurum suis medicamentis conmiscentes absq; ratione hoc faciunt, cum enim ignis quàmuis uehementissimus hoc minime corrumpere possit, multo minus in stomacho digeretur. Veteres autem Philosophi

& Poetæ aurum extollentes & magnificientes non locuti ſunt de noſtro communi auro, ſed de auro philoſophorum. Nam commune aurum ita ut decet nullo modo diſtillari aut ſolui poteſt. Igitur neq; in ſal debito modo tranſmutari poterit ut ſupra oſtendimus. Præterea quum dicis certis rationibus demõſtrari poſſe, Elixir ex communi auro fieri debere, huic ſententiæ tuæ hoc reſpondeo. In opere quidem breui, in quo neq; ſolutio aut coagulatio auri requiritur, aurum cæteris metallis anteferendum, uerum in opere maiori cum metalla in eorum materiã primam reducenda ſint, in qua nulla differentia eſt, ut ſupra oſtendimus, aurum cæteris metallis non debet præferri, neq; id concedimus omnia metalla æqualiter in hoc conuenire, ut apta ſint ad compoſitionem Elixir, cum unicum tantum metallum in ipſa minera ſingularem qualitatem acquiſiuit ut cæteris aptius fieret in ſua ſubſtantia, ut propinquius ad artem noſtrã accederet præ cæteris metallis omnibus. Alteræ tuæ rationi reſpondendum puto, Ariſtotelem locutum de generatione propria & uniuoca animalium, in generatione quæ per corruptionem generantis fit, ſufficit generans generali ſimile eſſe uirtute & potentia, ut ſupra diximus de ſemine humano. Hinc concludimus noſtrum lapidem ex quo Elixir fieri debet, aurum potabile, quintam eſſentiam, aurum & argentum eſſe uirtute & potentia propinqua. Hoc affirmat quoq; Arnoldus in Epiſtola quadam ad regem Neapolitanum, dicit enim in dicta compoſitione ſiue lapide noſtro, Solem & Lunam in potentia eſſe & uirtute, niſi enim hæc in ſe contineret, neq; aurum aut argentum ex eo fieri poſſe, huic autem Solem & Lunam uulgari auro & argento minime comparandam eſſe, cum hæc magno intervallo ſuperent uirtute. Sunt enim Sol & Luna in hac compoſitione contenta uiua, hoc eſt uegetabilia, Vulgaria autem mortua & ſuis uiribus extincta. Illa uero finita ſunt, propter quem finem Philoſophi antiqui lapidem noſtrum Solem & Lunam nominauerunt, cum hæc in ipſo lapide potentialiter non uiſibiliter contineantur, & Philoſophi dicentes, aurum tincturam eſſe rubedinis. & fermentum rubedinis de auro philoſophorum hæc debent intelligi, quòd ſulphur eſt ſua caliditate & feruens & coquens, digerens & tingens ſuum mercurium, quemadmodum etiam noſtrum Elixir tingit, & transformat noſtrum mercuriũ in multiplicatione, & uerius fermentum eſt. Quod præterea dictum eſt à me, corpora perfecta meliorari poſſe & fieri perfectiora, hoc neq; de auro aut argento communi intelligendum, ſed de ipſo Elixir quod meliorari & ſubtiliari poteſt per multiplicationem, ſolum mercurium ipſi coniungendo. Per corpora perfecta etiam indicare uoluimus ſulphuris ſpecies præparatas, quæ auri nomen ſortitæ ſunt à rubedine & ab albedine argenti, hæ autem præparari debent ſuo ſale & aceto, deinde ſubtiliantur & ſoluantur cum ſale Armoniaco, hoc eſt, cum aqua de ſuo ſale. Diximus enim lib. 2. cap. 15. cauſam inuentionis aquæ ſubtilis & acutæ neceſſitatem fuiſſe ſubtiliãdi iſtos ſpiritus, qui ante præparationem neq; fuſionem neq; ingreſſum habebant, & nos utilitate magna priuabant, hoc eſt ſpirituum fixorum, & quæ ipſorum naturæ ſunt. Arſenicum eſt naturæ ſulphuris, ut lib. 1. cap. 14. & lib. 2. cap. 12. diximus. Cauſa uero inuentionis aquæ puræ fuit imbibitio ſpirituũ & medicinarum mundarum, hoc eſt ſulphuris præparati.

DEMO: Facies mihi rem ſanè gratiſſimam, ſi mihi declaraueris, quid rei ſit aurum philoſophorum & aurum potabile.

GEBER. Sulphur eſt ſubtiliſſimum, purum & radicale, quod arſenicum ſupra nominauimus, nam in Alchimiæ ſpeculo ita ſcriptum inuenies. Sulphur noſtrum aurum bonum & purum eſſe. Præterea dicit Raſis in libro luminis luminum, oleum rubrũ colorem aſſumens ſulphur eſt & æs, & ſoli & auro comparatur. Senior Philoſophus in eadem eſt ſententia, dicit enim aurum huius lapidis aurum eſſe philoſophorum, & tinctu ram animam in ſe habentem, cum qua ſpiritus aſcendant. Alio loco idem dicit, aquam diuinam ſpiritualem eſſe, in qua anima contineatur quæ aurum dicitur. Idem dicit alio loco, Hermetẽ aquam albam aurum nominaſſe, quòd animam habeat tingentem,

tam, natam ex illa aqua alba. & alio loco dicit, aquam ueteres animam nuncupasse, quam Hermes aurum appellauerat, cum diceret, se seminare aurum in terram foliatam.

DEMO: Quid uoluit significare per hanc terram foliatam Hermes?

GEBER. Argentum uiuum Philosophorum præparatũ, cui hoc aurum coniungi debet, aut hanc terram foliatam intelligemus, potius sulphur esse quod sublimatum auri & argenti foris diuersis coloribus, propterea diximus sulphur cum suo simili tincturam facere. De ista anima quæ aurum dicitur, loquitur Hermes, cum dicit, hanc uentum in uentre suo portare.

DEMO: Non intelligo quid sit hic uenter & uentus.

GEBER. Albertus lib. 1. de mineralibus cap. 3. hoc declarat & ostendit, Hermetem dixisse uentum portare in uentre suo animam, quando materia nostra uase imponitur & distillando elicitur, ex alembico liquor aqueus aut oleum potius cum omnibus elementorum uiribus. Vento em̃ significatur fumus albus, qui intra se portat fumum rubrum qui anima dicitur & aurum, æs, Venus, numus, arsenicum, uitrum, uitriolum, ignis, oleum, sulphur, aqua uiridis, Leo uiridis, uiride æris, uinum, sanguis humanus, sanguis demonis, auripigmentum, aqua permanens, & alijs diuersis nominibus. Propterea dixit Senior Philosophus, hanc diuinam aquam nomine omnium rerum humidarum appellari, ut aceti, uini, lactis, pinguedinis & sanguinis & spermatis, sic etiam nomine omnium tincturarum & florum similiter nominari, & per hanc animam lapidis intelligunt quã exaltauerunt, hoc est, sublimauerunt in ista aqua. Propterea alibi dicitur à iam citato Philosopho, sermone omnium Philosophorum in hanc tincturam solam conuenire, quam extraxerunt ex ipsius anima, quam appellauerunt animam & genitum & regem, & hoc genitum pinguedo est, quare animam & aurũ appellabant, quum habeat animam rubram in albedine occultam, hoc est, in aqua alba spirituali, quam extraxerunt ex suo lapide. In libro philosophorum Turbæ scriptum est, numum nostrum rubrum aurum appellari. Dicit autem Philosophus Miroris, tamdiu coquendum donec ipsius humiditas eleuata sit in alembicum, quum sit sudor similis auro. & in cœlo Philosopho rum hæc uerba leguntur, Ignem quidem augendum esse ad 4. gradũ usq; unius horæ spacio, & egredietur aqua coloris aurei. Hæc aqua aurea pluuia est, in quam Iupiter se conuertebat, & seorsim seruari debet, nam in ipsa aurum potabile continetur. Quum lib. 1. ca. 17. dixissem, omne illud quod radicaliter mundificare, & colore citrino metallum tingere poterit, ipsum posse aurum facere, significare uolui radicem metalli distillatum aurum esse philosophorum. Auicenna in libro de mineralibus dicit, sal armoniacum totum sublimari, & aquam esse cui commisceatur fumus calidus & multum subtilis & plurimæ humiditatis. Et lib. 3. cap. 9. Saturni nostri mentionem facientes diximus, nihil abeo in fumũ resolui, quod animaduerti possit, quòd non sit coloris citrinissimi. & loco prædicto diximus, adhuc quũ fumus ascendit necessario ipsum ascendere unâ cum sulphure non adurante, eius proprietas est retinere citrinitatem. Præterea cap. 8. de nostro Ioue uerba facientes diximus, hos diligenter aspexisse fumum ab ipso eleuatum magna ignis expressione & obseruasse hunc ad citrinitatem accedere, cum hoc sit proprium sulphuris calcinati, arbitrantes certissima & infallibili coniectura, hunc fumum multum de natura sulphuris fixi retinere.

DEMO: Dubium me facis & incertum, quod enim supra de Saturno dixisti, hoc nunc Ioui tribuis, sunt igitur Saturnus & Iupiter unum & idem?

GEBER. Isti duo unum sunt sal ex nostro metallo extractum, quod Rasis affirmat his uerbis, cum dicit: Cum acceperis corpora plumbi & stanni, his cõmixtis extrahere poteris oleũ, (hoc est sulphur) & mercurium quæ natura coniunxit. Philosophi autem per similitudines rerum loquentes iubent nos hanc aut illam rem accipere & cõmiscere, cum tales res minime accipiendæ sint, sed hoc faciunt ut ostendant in nostro lapide aliqd esse, quod eius rei similitudinem habeat. De supra dicto oleo

mentionem feci libro 2. cap. 12. cauſam inueſtigationis ipſius feciſſe ut haberemus ſuum colorem, dicens. Albertus lib. 4. Metheororum, tractatu 3. cap. 18. in mentione ſupradicti fumi aut uaporum dicit, per naturam mixti, ſiccum continere humidum, ut ſine ipſa in uaporem exhalare nõ poſſit, humidum uero ſicco addit quandam ſubtilitatem ut cum ipſo auolare poſſit. Et nos diximus adhuc lib. 1. cap. 10. ipſa corpora, hoc eſt, ſulphuris ſpecies, ſimul cum ſpiritibus, ſcilicet mercurialibus fugere ab igne, hoc eſt imi ſpiritus fixi non ſunt, inſeparabiliter uero commixti ſunt in profundo corporum; ſuperat enim pars uolatilis partem fixam. Præterea dicit Arnoldus in Roſario, illum qui non nouerit aurum conuertere in argentum, nunq̃ poſſe argentum in aurum conuertere è contrario.

DEMO: Quomodo argentum in aurum poſſit conuerti ſcire permaxime cupio, ut uero aurum in argentum conuertatur parum aueo.

GEBER. Philoſophus Senior ſcribit, ueteres philoſophos cum dicerent dealbate aurum, communem aurum non intelleXiſſe. Quum uero philoſophorum aurum quod rubrum eſt dealbatur, dicitur in argentum conuerſum eſſe, & argentũ nominatur. Idem de ſulphure intelligendũ, conuerſum uero in albedinem, poſtea uero longa decoctione ruffeſcens, dicitur argentum in aurum conuerſum eſſe. Præterea in libro Turbæ philoſophorum ſcriptum eſt, nullam tincturam fieri poſſe niſi ex prędicto noſtro ære, hoc autem niſi conuertatur in albedinẽ donec tinctura fiat, nihil efficies.

DEMO: Fateor me tibi haud parũ debere, obligatũq̃ eſſe quamplurimum atq̃ deuinctum tanto beneficio, quòd tanti ſecreti me feceris participem, fui enim hactenus cum multis in eo errore, ut crederem Elixir, & aurum potabile ex auro communi fieri debere.

GEBER. Quemadmodum pueri, ita tu rebus quoq̃ aſpectu pulchris delectaris. Noſtra autem quinta eſſentia ex lapide turpi & deformi ſit primo intuitu, interius uero in occulto pulcherrimo.

DEMO: Cum pro tua ſingulari humanitate haud grauate mihi declaraueris, quid aurum potabile & philoſophorum, ut mihi etiam paucis oſtendas quid ſit quinta eſſentia, rogo. Si enim recte iudicio præſtat ſanum longo tempore uiuere, quàm opibus abundare.

GEBER: Verum dicis. Eſt autem quinta eſſentia ſecundum Marſilium Ficinum in lib. de triplici uita, ſpiritus animæ mundi, diffuſus per partes corporeas & elementales.

DEMO: Explicatio hæc nimis obſcura eſt.

GEBER. Dixi tibi iam ſæpius in una diſtillatione duos fumos diſtillari à materia noſtra, rubrum & album, hi ambo dicuntur quintæ eſſentiæ, dicitur autem fumus rubeus ultra ſupra dicta nomina quoq̃ anima uini, ut Iohannes de Rupeciſſa tradidit his uerbis, Appellamus autem quintam eſſentiam, uini animam, uinum autem noſtrum aurum eſt philoſophorum. At fumus albus qui in ſuo uentre portat uinum rubeum in diſtillatione, proprie & uere quinta eſſentia dicitur, de qua philoſophi locuti ſunt. Dicit enim Arnoldus ſeparatis elementis, reſtare certam quintam eſſentiam quandã quæ ſpiritus lapidis dicitur. Hæc autem neq̃ elementum eſt, neq̃ in ſe elementalem qualitatem habet actu ſed uirtute, actu enim neq̃ calida aut ſicca eſt, ut ignis, nam infrigidat & ſanat morbos frigidos, neq̃ calida aut humida eſt ut aer, qui facile corrumpitur, ut tempore peſtis, & in generatione ranarum & ſimilium uidemus, quæ ex corruptione aeris generantur. Poteſt enim quinta eſſentia ex metallis præparata, ad decem millia annorum conſeruari abſq̃ corruptione modo in uaſe uitreo diligentiſſime, ne reſpiret obturato, reſeruetur. Propterea Hermes, Plato, Socrates, & multi Philoſophi qui hanc nouerunt, ipſi perpetuitatem attribuerunt, & qui ea uterentur non morituros, cum tamen & ipſi Deo ita uolente, ut reliqui mortales quoq̃ mortui ſunt.

DEMO: Ergo uanum eſt hac uti medicina.

GEBER. Vanum eſſet nec poſſibile hominem ut tranſcenderet uitæ naturalem terminum, laborare, hic terminus poſſet

tamen ad quingenteſimum annum extendi, ut primis antiquis patribus conſtitutum erat, quemadmodum uero homo multis modis conſtitutum uitæ terminum morbis circumuentus minime attingere poteſt & uitæ ſpacium abbreuiare poteſt, eodē modo poterit impedimenta hæc remouendo uitam prorogare, ut tandem naturæ ſuæ uitæ conſtitutum terminum attingat. Inter cætera uero remedia omnia quibus uitam producimus hæc quinta eſſentia præparata præſtat, ut aperte ſatis demonſtratum eſt in Dialogo noſtro, cui titulus eſt, Lignum uitæ, dat enim homini uitam. Raſis in lib. luminis luminum dicit, aquam deſcendentem è maiori petra â Philoſophis aqua uitæ nominari & cœlum, nam quinta eſſentia ſimplex eſt & incorruptibilis & ſeparata â materia elementari, neq; frigida aut humida eſt ut aqua elementalis, ardet enim ante coagulationem, igitur à philoſophis aqua ardēs nominatur, præterea neq; frigida neq; ſicca eſt ut terra, ut manifeſte deprehēdimus, calefacit ēm plurimū & curat infirmitates Melancholicas quæ frigidæ ſunt & ſiccæ, & formam habet aquæ limpidiſſimæ & ſubtiliſſimæ, uariſs nominibus â Philoſophis appellatur, ex proprietate aut ſimilitudine aliqua aſſumpta. Sunt enim qui Mercurialem aquam quoq; appellant quòd â Mercurio ſit diſtillata, aliqui mercurium ſolutiuum uocant, ſoluit enim corpora, hoc eſt, ſui ſulphuris ſpecies. Propterea dixi lib. 1. cap. 17. Aurum, hoc eſt, ſulphur ſupra nominatum, facile frangi, hoc eſt, ſolui cum ipſo mercurio & odore, hoc eſt uapore, plumbi hoc eſt noſtri ſalis, & Aquila quod uolare poſſit ſupra omnes ſpiritus. Dicitur etiam aer propter ſubtilitatem, & ſal Armoniacum q̄ ſal diſtillatum ſit, & propter conſonantiam & homogeneitatem, ſignificarūt quoq; hanc antiqui Philoſophi nominibus pernicioſorū & ferocium animaliū ut ſerpentis, Draconis, Leonis, Vrſi, Baſilici & ſimilium, propter ipſius naturam horribilem & uenenoſam ante conuenientem digeſtionem. Propterea quoq; aqua fœtida nuncupatur, eſt enim amara & fœtens ante coagulationem.

DEMO:

DEMO: Suſpicor te tacite ſubindicare uelle horribilitatem & fœtorem ab ea remoueri per ignem cum amaritudine, uerum quomodo hoc fieri poſſet, non uideo, cum ſit aqua ſalis, uidemus enim, & ipſa experientia docemur per calorem omnia conuerti in ſal cum ea corrumpere poſſit, ut ſupra dixi-mus. Si ergo dulcia calore corrupta in ſal amarum conuertuntur, multo maiorem amaritudinem recipiet hæc noſtra quinta eſſentia diſtillata ex metallorum ſale, ſic decocta & exuſta.

GEBER. Si præter ſal diſtillatum & præparatum, hæc cōpoſitio nihil recipiet aliud, tuam ſententiā probarem, recipit autem & ſulphur quòd banc naturam aufert & dulcem reddit.

DEMO: Quonam modo hæc amaritudo ſulphure auferetur ut dulcis fiat, cum ipſum ſulphur quoq; amarum ſit, ut teſtatur Raſis qui dicit, ſulphur quod Martis nomine appellatur manifeſte amarum & acutum eſſe exterius?

GEBER. Concedo ante præparationem & decoctionem ſulphur, colericum, amarum & acutum eſſe, quemadmodū Raſis dicit. In decoctione uero occultatum manifeſtatur, ſulphur aūt in profundo & occulto dulce, per decoctionem ad ſuam dulcedinem trahit & tranſmutat ſal conuerſum in aquam. Alterū uero ſulphur quod aurum appellatur, quod etiam in hanc compoſitionem recipitur huius medicinæ, ſanguineum eſt, dulce & odoriferū ut Raſis dicit. Hæc autem tranſmutant huius aquæ amaritudinem in dulcedinem, quemadmodum aqua fluuij Marach amara, uirtute ligni facta eſt dulcis. Alphidius ſcribit hæc uerba: Anteqū hoc opus aggrediaris, præſcribam tibi bonam Elixir compoſitionem. Primo neceſſe erit ut humidum ſit, & cum decoquitur ut coaguletur & inſpiſſetur ut nix uel grando & ſal ſapore dulci, uentre nigro, & colore albo.

DEMO: Ventre nigro quid ſignificatur?

GEBER. Alphidij ſententia eſt, quantūcunq; noſtra medicina in principio decoctionis alba ſit, nihilominus nigredinē habere occultam, procedentem ex certa humiditate unctuoſa & aduſtiua, maxime uero manifeſtatur hæc nigredo in coagu-

 latione

latione materiæ, tantum uero decoqui debet ut hæc humiditas consumatur & fiat alba, tunc enim hæc operatio completa est, & quemadmodũ cœlum supra nos non solum per se influentiã habet in hæc inferiora corpora ut conseruentur rerũ species, sed uirtute Solis & stellarum fortificatur, ita etiam cœlum hoc nostrum ornari debet nostro sole splendido & incorruptibili, hoc est, auro nostro supradicto, in terra enim generatum est uirtute Solis â quo recipit naturam, colorem, uirtutem, proprietatem & substantiam incorruptibilem. Quare nostra quinta essentia ornata isto Sole mirabili, infundet nobis uirtutem cœli & Solis cœlestis, hoc est uitæ conseruationem, humidi naturalis restaurationem, & iuuentutis renouationem. De Sole isto locutus est Isidorus lib. 16. dicendo, Chalcantum, hoc est flos æris in medicina salis fieri sole calidissimo, & tantam habere uim astringendi, ut in os Leonis aut Vrsi inspersum tanta fortitudine eorum ora constringit ut mordere non possint.

DEMO: Videtur mihi hoc impossibile.

GEBER. Per Chalcantum & florem æris, Isidorus nostrũ æs quod atramentum appellamus subintelligit, & uitriolum in sale occultum ante distillationem & fit per calcinationẽ simul cum sale, hoc uero æs unitum cum nostra quinta essentia, quæ Vrsi & Leonis nomine intelligitur tantum inuiscat & coagulat eam, ut ab ea acumen auferat ut mordere non possit, hoc est soluere sulphur, quemadmodum uero influxus cœlestis stellarum influxu augetur, eo modo & cœlum nostrum non Sole tantum sed cæteris quoq; stellis atq; planetis coniungi debet, ut ipsius influxus & uirtus augmentetur, & ut facilius quoq; coaguletur & ad perfectionem citius conducatur.

DEMO: Quæ sunt istæ stellæ & Planetæ, qui nostræ quintæ essentiæ coniungi debent, siue nostro cœlo applicanda sunt.

GEBER. Omnia metalla philosophorũ præparata nomine planetarum significata, & hæc recipiuntur etiam in compositionem Elixir, propterea dicitur huic cõpositioni unam solam communem esse & sufficere. Tamen uerum est aptius coagulatiuas

latiuas in hac arte principaliter duas esse sulphuris species, Venus & Mars. Et hæc erat sententia Alberti in primo de mineralibus, cap. 9. primi tractatus, cum scriberet Alchimistas singulari studio atq; diligentia aquas facere, quæ qualitatem haberent diuersorum elementorũ uirtute & actu, hoc est ut desinent & coagulent hoc quod transmutare cupiunt. In libro de Vaporibus scriptum est, carnes uelocissime coqui adiecto uitro ex cineribus fœni & filicis, cum enim uitrum siccum sit, plurimum humiditatis è carne elicere per ebulitionem poterit, ut multo citius caro decoquatur. Cum uero uitrum hoc ex cineribus fœni & filicis alio communi uitro multo siccius fit, ergo hoc uitro adiecto multo citius decoctio perficietur, habet enim commune uitrum adhuc aliquid humiditatis quàm â plumbo accepit, quod primum fuit in compositione.

DEMO: Quamuis huius rei nullum adhuc fecerim periculum, tamen haud credo adiecto uitro carnes citius coqui.

GEBER. Hæc est causa multos ignorantes, & rerum naturalium imperitos Plinium & Albertum mendacij accusasse, cum ipsi hoc quod Philosophi per similitudines & allegoriam locuti sunt ex nuda litera interpretarentur, & se deceptos & elusos putarent.

DEMO: Quid uoluerunt hac re significare?

GEBER. Vitri nomine in ista arte sæpenumero sulphur significatur, nam sicut uitrum commune omnes colores recipit, eodem quoq; modo sulphur nostrum in præparatione omnes colores demonstrat. Propterea Argi nomine appellatur, cuius multi oculi in Pauonis caudam conuersi sunt. Per carnes uero coquendas intelligitur noster Mercurius, qui coagulari & firmari siue figi debet in aqua mercuriali mediante sulphure. Cum uero duæ species sulphuris sint, una nomine Martis appellata calida & sicca, altera uero Veneris calida quoq; & sicca, minus tamẽ ut Rasis dicit, participat eñ cum humiditate mercurij quam ab eo sale accepit ♀ Saturnus dicitur, â quo iam dictũ sulphur Veneris nomine nuncupatum, distillatũ est. Propterea uelocius

locius coagulatur & dulcoratur ipso mercurio & aqua mercuriali, si adijcimus sulphur ex cineribus fœni & filicis, quod Martem nominamus propter nominis cognationem. Præterea notabis differentiam esse inter coagulationem quintæ essentiæ & fixionem Elixir, cum debeant diuersos operare effectus. Elixir enim transmutare debet metalla imperfecta in uerum aurum & uerum argentum, necesse igitur est ut fixum sit & in auri & argenti substantiam plusq; perfectam conuersum sit, hic autem non remanebit aqua mercurialis cum fixionem impediat, quamuis tamen ibi maneat quinta essentia ruffa aqua forma sua permanens dicta. Cum uero quinta essentia mercurialis per os sumenda sit in modum medicinæ penetrantis per omnia membra & conseruantis à corruptione, non debet adeo fixa esse, ut in auream siue argenteam substantiam conuertatur. Sufficiet enim tantum esse decoctum & digestum, ut coaguletur & consumetur illa humiditas tam uaporosa, fœtida & acuta & dulcis fiat, sic assumpta per os subito penetrabit per totum corpus, ut res omnium subtilissima & humano corpori consormis, & sua potente & diuina uirtute tantam incorruptibilitatem inducet omni loco quem penetrauerit, ut illi qui tantummodo tres gutulas per se aut alia re conueniente commixtas sumpserint, per longũ temporis spacium sanè uicturi sint, ut primi anti qui patres qui lignum uitæ sumebant. Hæc omnia fabulis poetarum ab antiquis sapientibus occultata sunt, maxime uero Orphei.

DEMO: Feceris mihi sanè rem gratissimam, si intentionem antiquorum in hac re mihi declaraueris.

GEBER. In ista medicina pars est uegetabilis, hoc est, sal significatum arboribus & plantis, præterea adest etiam quædam animalis pars ut anima & aurum, significata per animalia, homines phœbum & uellus aureum. Pars uero mineralis istud sulphur fixum est, quod Martis nomine appellamus, hoc significatur per lapides & saxa, montes, ossa, & reliquis rebus duris. Aqua mercurialis & uapores significantur per auiculas, uentũ, fluuios, serpentes, tauros & Dracones, qui custodiebant uellus aureum Marti dicatum. Propterea diximus lib. 1. cap. 15. in distillatione nullum metallum philosophorũ submergi in Mercurio, hoc est in aqua mercuriali, Sole nostro excepto, & hic dicatus est Marti, quoniam coniungi debet cum sulphure Martis nomine apppellato, per Orpheum uero nostra medicina significatur, hæc enim cum sit dulcis omnia supradicta firmare & coagulare potest.

DEMO: Agnosco me non satis capacem, ut hanc sententiam compræhendam tuæ expositionis, nisi mihi prius declaueris quænam sint philosophorum metalla.

GEBER. Philosophi hanc scientiam occultauerunt sub nominibus omnium rerum in mundo, maxime uero metallorum.

DEMO: Quomodo occultabitur hæc ars sub metallorũ nominibus, cum ipsa fiat per metalla.

GEBER. Certum est rem haud facilem esse posse, discernere, quando ueteres Philosophi de metallis communibus, siue philosophorum metallis loquuntur, nam primo aspectu nobis uidẽtur de metallis communibus uerba facere, & interdum sermonem suum incipiunt de metallis communibus, mox reliquũ sermonis ad metalla philosophorũ deflectunt. Qui uero huius artis noticiam siue cognitionem aliquam habuerit, & experientiam, statim nomine aliquo audito intelliget, quid in hac arte significare possit. Sit in exemplum nomen Ferri aut Martis. Si igitur Philosophus dixerit hunc in manifesto calidum esse & siccum, facilemq; tincturam rubei, huius artis peritus artifex statim cognoscet eum de sulphure hæc dixisse, quum qualitas hæc ferro communi minime conueniat in manifesto. Rasis dicit in libro de diuinitate, animaduertendum esse res subtili artificio à natura taliter inuicem colligatas esse, ut in omni re omnes res sint in potentia, etiam si uisu minime compræhendantur, quod melius depræhendetur in rebus æquabilibus quàm in alijs. Hoc modo interiora auri argentea esse, & interiora argenti aurea,

inueniri enim in Sole quidpiam Lunæ, & in Luna aliquid Solis, in cupro uero aurum & argentum esse in potentia sed non uisibiliter, & in his ferrum, plumbum, stannum, in quibus etiam uicissim aurum & argentum reperias. Idem scribit Albertus lib. 3. de mineralibus cap. 8. dicendo Hermetem, Gilgil & Empedoclem Philosophos & Alchimistas præclaros, cum omnium cæterorum Alchimistarum numero affirmare in omni metallo plures esse species & naturas metallorum, alia uero occultata, alia manifesta, alia interius, alia exterius, alia uero in fundo, alia in superficie apparere metalla, quemadmodum illi qui de latentia formarum disputarunt, & omnem rem in omni re esse, ut Anaxagoræ placuit, dixerunt itaq; plumbum interius aurũ esse, foris autem plumbum, aurum uero exterius in superficie aurum esse, interius uero & in profundo plumbum, hoc eodem modo se habere intra se cuprum & argentum & omne metallũ ad singula metalla. Præterea dicunt non nominari exteriora siue interiora metalla, & cæteræ denominationes secundum suarum partium in toto, sed secundum proprietatem & naturam prædominantis, cum prædominãs id sibi inclusum teneat supra quod dominatur. Hoc modo isti omnino Anaxagoræ sententiam affirmare uidentur, qui singula metalla singulis metallis inesse prodidit, & denominationem fieri â prædominante.

DEMO: Hæc uidentur mihi impossibilia, & si recte iudico, horum opinio ab Alberto reprobatur.

GEBER. Tu uersaris in simili errore cum quibusdã Philosophis, qui dicebant in mundo aliam substantiam non esse præter eam quæ uideretur. Si autem diligenter examinasses, corrupisses & transmutasses aliquando metalla, & intrinsecas qualitates considerasses, & diuersitatem substantiæ & coloris apparentis, hæc tibi non uiderentur impossibilia. Præterea si tibi uidebitur Albertum hanc opinionem reprobasse, dico ab eo nudam literam reprobatam, inuentionem autem antiquorũ & sensum allegoricum nequaquam.

DEMO: Declara mihi igitur distincte & aperte intentionem tionem antiquorum, & sensum hunc allegoricum.

GEBER. Per calcinationem, putrefactionem & lotionẽ reducimus nostrum metallum in sal album ut calx communis, & multis locis appellauimus hoc calcem. Cum autem habeat proprietatem plumbi communis, nomen plumbi inuenit. Propterea dixit Rasis loco iam citato, plumbum in suo manifesto, hoc est in superficie frigidum & siccum esse, hoc est plumbum & argentum, nigrum, molle, terreum, melancholicum, acerbum, fœtidum, fœmineum in actu, plumbum in potentia argentum esse. In ipsius autem profunditate calidum & humidum, hoc est aurum, aereum, sanguineũ, croceum, dulce, odoriferum, masculinum, in uno latere frigidum & humidum est, hoc est, stannũ & argentum uiuum siue Mercurius, aqueum, flegmaticum, album, insipidum, remissum, fœmineum, in altero latere calidum & siccum, hoc est, ferrum & cuprum, igneum, cholericum, rubrum, amarum, acutum, masculinum. Intelligis nunc nimirum in uno metallo communi & uno metallo philosophorum, singula philosophorum metalla compræhendi, sic & de cæteris intelligendum.

DEMO: Hæc mihi uidentur difficilia & obscura ualde.

GEBER. In proœmio lib. 2. dixi considerationem earum rerum, quibus ad complementum huius operationis peruenitur, auspicandum esse â diligenti inuestigatione principiorũ corporum secundum ipsorum profundum, occultum & manifestum. Animaduertas igitur secundum sententiam Rasis in libro de diuinitate in omni corpore tres esse dimensiones, altitudinem, profunditatem, & latitudinem, altitudo est quæ manifesta est, profunditas uero est occulta, latitudo medium tenet inter manifestum & occultum, hoc est partim manifesta & partim occulta est, Istud uero sal quod plumbum appellamus, & argentum uiuum siue mercurium nondum præparatum, & aquam siccam & pastillum de quo latius dixi in capitulo de descensione, hoc est distillatione, cum in suo manifesto album sit, propterea dicitur frigidum esse, albedo enim signum frigiditatis est,

aut potius frigidũ dicitur quod participat in humiditate aquæ, de qua locutus sum lib. 2. cap. 2. & 7. Cum uero multum terre ſtreitatis intrinſece habeat, ut ſupra diximus multis in locis de mercurio loquentes & plumbo. Propterea ſiccæ naturæ dicitur quæ cauſa ſit nos dixiſſe lib. 1. cap. 15. eum ſcilicet mercurium, non facile adherere intrinſecus ſuo ſulphuri quod Martem nominamus, quamuis habeat uiſcoſitatem humidam propter ſiccitatem, hoc eſt terreſtreitatem ipſius per quam uiſcoſitas temperatur, & adherere minime permittitur. Propter hanc terreſtreitatem dicitur natura eſſe melancholicæ liuidæ & nigræ. Notabis autem quemadmodum ſupradictus Saturnus albus eſt, eodem modo ſuas intrinſecas terreſtreitates ante diſtillationem albas eſſe, quemadmodum loco iam citato oſtendimus. Propterea diximus lib. 2. cap. 2. de iſto mercurio loquentes, leui artificio uidere nos ab ipſo exire terram nigram & fœtidam per lotionem. De terreſtreitate iſta ſupra quoq; locuti ſumus, lib. 2. in tertia cauſa deſcenſionis, hoc eſt diſtillationis. Cum uero iſte Saturnus naturam ſalis habeat frigidus & indigeſtus, igitur acerbus eſt. Propter albedinem uero & frigiditatem fœmineus dicitur, & propter ſuam fumoſam & aduſtiuam ſubſtantiam dicitur fœtidus. Quum autem manifeſtum occulto ſemper contrarium ſit, propterea plumbum hoc in profundo, quẽadmodum per diſtillationem cum forti ignis expreſſione manifeſtatur in oleo, calidum & humidum eſt, hoc eſt aurum, calidũ uero propterea quòd ſulphur rubrum eſt & ſanguineũ. Quod autem ad compoſitionem huius auri Mercurius recipiatur, erat enim ante diſtillationem una materia ſiue ſubſtantia cum mercurio, inde dicitur humidum eſſe. Citrinum uero dicitur quod compoſitum ſit ex ruffo & albo, aereum autem nominatur, q̃ ſpiritus ſit ſubtilis & ſublimetur. Sanguineum dicitur quum ruffum ſit. Dicitur præterea & odoriferum propter ſuam rubedinem, caliditatem & bonam ſubſtantiam bene digeſtum. Maſculinum uero quod calidum ſit, & in generatione metallorum & Elixir paterno ſemini ſimile. De his Saturni occultis ſecretis in

in libro trium uerborum ſcriptum eſt, neceſſarium eſſe ut manifeſtum occultetur, & occultum manifeſtetur, hoc uero occultũ naturæ ſolis eſſe & ignis, & præcioſiſſimum oleum omnium occultorum, & tincturam uiuam & aquam permanentem. Hic uero Saturnus adhuc in uno latere ſcilicet latitudinis in parte manifeſtus, & in parte occultus naturæ frigidæ & humidæ eſt, hoc eſt, Iupiter & mercurius præparatus, & accidit hoc poſt lotionem fecis aduſtæ. Propterea dixi lib. 1. cap. 19. plumbum ſubſtantiæ terræ plurimum habere, ob id lauari, & in ſtannum conuerti. Morienus autem dicit, corpus immundũ apud philoſophos plumbum dicit, mundum uero ſtannum, dicitur autẽ naturæ flegmaticæ propter ſuam humiditatem uiſcoſam. Inſipidum uero & remiſſum dicitur propter ſeparationẽ multæ aquæ acutæ in diſtillatione. Fœmineum dicitur q̃ frigidum ſit & humidum, & in metallorum generatione, & Elixir muliebri menſtruo ſimile ſit, in alio latere quod de manifeſto & occulto ſimul participat. Saturnus calidus eſt & ſiccus, hoc eſt ferrum & cuprum, quamuis (ut Raſis tradit) ſiccitas Veneris ſiccitatẽ Martis ſuperet & maior ſit, propterea quòd participat de argento uiuo ſiue Mercurio qui ipſius ſiccitatem temperat. Animaduertendum tamen eſt, quemadmodum lib. 1. cap. 12. monui, & lib. 3. cap. 7 in corporibus metallicis duas eſſe ſulphuris ſpecies neceſſarias noſtræ arti, quæ in manifeſto dependent à rubedine, in occulto uero albi, nigri & ruffi ſunt, unum intrinſecum eſt ipſo Saturno. Propterea ſoluitur ut cætera ſupradicta & Veneris nomine appellatur, omnia autem ſupradicta in ſimul eſſe ante diſtillationem, & omnia habere naturam ſalis, diximus lib. 1. cap. 15. ſolui Iouem, Saturnum, Lunam & Venerem, iſto mercurio quem Saturni nomine deſignamus, hoc eſt per ipſius uirtutem, cum omnes ſimul naturam ſalis habeant, ſoluuntur autem tantummodo hæ res quæ ſalis naturam habent, aut aluminis & fellis prout ſæpe monuimus.

DEMO: Solutionis iam ſæpe meminiſti, quare rogo ut mihi declarare uelis ſenſum huius uerſiculi. Soluite corpora in

aquam, omnibus dico qui aurum & argentum facere quæritis.

GEBER. Lib. 2. cap. 17. dixi omnia corpora nostra sulphurea, sulphur & arsenicum esse, Arsenicum uero Veneris nomine appellatum distillatione soluitur (ut supra diximus.) Sulphur autem Martis nomine appellatum distillatione non soluitur, cum in se non habeat partes salsugineas (ut lib. 1. cap. 3. diximus) subtiliatur autem & soluitur cum sua aqua mercuriali, quam capite de solutionibus cæteris aquis acutis adiunximus. Ex his duabus aquis sulphureis unam accipe quam uolueris, scilicet hanc quæ Venus & aurum dicitur, hanc da bibendam inimico tuo, hoc est coniunge illam sulphuri quod ferrum dicitur. Diximus enim loco iam citato sulphur cum suo simili siue compari, hoc est arsenico tincturam fieri. Intelligitur aũt per Leonem antiquum siue Draconem mercurius conuersus in sal, antiquum uero uocant quòd incorruptibilis sit. Ex hac sententia reliquos uersus quoq; intelliges, scilicet qui soluere non poterit subintelligendum nostrum arsenicum & mercurium nostrum, neq; subtiliare sulphur, corpus sulphureum non tangat, neq; argentum uiuum nostrum, non poterit enim fixum sulphur quod Martis nomine appellatur, tenere uolatile arsenicum nisi per optime commixta fuerint, & ex duobus unica substantia facta fuerit, quod cum aqua mercuriali quam aquam uiuam appellamus fieri potest, quæ medium tenet in commixtione tincturarum, hoc est inter sulphur & prædictum sal præparatum, sal dissolutiuum appellatum. Rasis mentionem facit in suis scriptis horum sulphurum, & dicit aquam æris solutam ad rubrum & meliorem & fortiorem esse quàm ferri aquam, hoc est cum ferrum sublimatum fuerit in rubedinem conuertitur, & aceto adiecto rubicundũ colorem acquirit ut sanguis. Quum igitur sulphur Martis nomine appellatum quasi extrinsecum sit in supra dicto Saturno, Propterea in præparatione facilius ab eo separatur â cõmistione, hanc ob causam diximus lib. 4. cap. 14. ea metalla quæ paruam quantitatem mercurij habent, facilius separari à cõmistione salis, & eodem loco de isto sulphure Martis nomine appellato, dixi Martem fusionem non habere, hoc est non solui. Propterea cum isto sale non commiscerí, quod fit per priuationem multæ humiditatis mercurialis. Propterea cap. 10. eiusdem libri diximus, corpora ab inuicẽ per ista duo examina non separari (hoc est in calcinatione sulphuris cum acetũ & sale, & in distillatione à sale & separatione) nisi per diuersitatem compositionis ipsorum substantiæ, nam ex ea diuersitate nascitur diuersitas fusionis, hoc est solutionis, spissitudinis & raritatis, quæ principales causæ sunt separationis nostrorum metallorum. De solo Marte autem loquendo, dico ipsum esse igneum, hoc est sulphur ruffum calidum & siccum, & facilis combustionis ante præparationem, propter multam unctuositatem cholericum propter uehementem calorem, amarum & acutum, quum cholericus sit, est namq; cholera propter indigestionem cibus amarus & acutus. Dicitur autem masculinus quòd calidus sit, & principale semen metallorum & Elixir. Ita nimirum compræhendes in uno metallo communi omnia metalla philosophorum compræhendi, & ibi aurum & argentum esse in potentia propinqua, quum in ipso sit ipsorum semen à natura pro parte digestum & fixum, nec aliud tamen esse præter sulphur & argentum uiuum. Si uero huius rei certificari uoles, considerabis ea diligenter quæ lib. 2. ca. 7. & 16. & lib. 3. cap. 4. circa finem scripsimus.

DEMO: Nisi praxin uidero huius operationis non satis capacem me sentio ut hæc intelligere queam, tametsi animaduertam artem naturam in multis imitari. Praxis

GEBER. Natura per decoctionem adurit terram & aquam simul commixta, & uitriolum generat, ars uero adurit sua metalla, & redigit ea in calcem in qua uitriolum occultatum est, naturæ & artis semen, per putrefactionem autem & separationem extrahitur uitriolum & sulphur. Natura resolúit suum uitriolum & exhalat duplicem fumum, ars simile facit in suo uitriolo. Natura per sublimationem ducit duplicem illum fumum in loca mineralia, & ipsum coniungit cum sulphu

re

re fixo, ars similiter suum duplicem fumum coniungit cum sulphure fixo. Cum uero fumus ille albus nobis magnum impedimentum esset futurum in fixione, propterea remouemus illum & in ipsius locum accipimus mercurium uiscosum coagulatũ, quem à fecibus adustis extraximus. Propterea diximus lib. 2. cap. 6. semper illud separari quod corpori in capello Aludilis propinquius sicut in puluere sursum eleuatum, hoc est in aquam solutum ab eo quod remanet in fundo uasis præparatum, natura quoq; illud sulphur fixum lauat, simile facit ars. In lotione autem huius sulphuris ruffi in colore uini ruffi, primo calcinatur & fit nigrum propter ipsius oleaginitatem, & à Raymundo nigrum nigro nigrius appellatur sui uitrioli. Propterea diximus lib. 4. cap. 20. Martem in omni genere combustionis, nigredinem & fuscum colorem creare plus tamen aut minus, quo metallum magis aut minus calcinatum fuerit, nam per fortem calcinationem sulphuritas adustibilis consumitur, ut lib. 3. cap. 7. ostendimus. Hac de causa omnes Philosophi maximè in hoc conueniunt putantes illas debere esse nigras, fortasse ut propter abundantiam sulphuris calx non uitrificetur, ab hac nigredine usq; ad albedinem omnes sui cæteri colores apparent, sunt enim albedo & nigredo externi & planè contrarij colores, & omnes cæteri colores plane intermedij. Propterea semper in hac præparatione quotiescunq; de gradu ad gradum aliquid de nigredine deperditur, semper color apparet minus niger, quousq; tandem ad ultimum & perfectum colorem albedinis perueniatur.

DEMO: Credebam hanc colorum diuersitatem apparere post coagulationem Elixir, dixisti enim lib. 2. cap. 16. proprietatem esse sulphuris cum argento uiuo, colorem rubrum creare aut citrinum secundum quantitatem commixtionis, proprietatem uero remotionis sulphuris esse, dare mercurio albedinem per ignem. Hæc igitur causa est diuersitatis colorum in ipso post ipsius coagulationem in petram siue lapidẽ. Hunc uero modum loquendi non intelligo, nam cum sulphur & mercurium simul poneres ut coagularentur, putabam amplius non remouendos neq; separandos esse, quomodo erit igitur sulphur causa uarietatis colorum post coagulationem Elixir?

GEBER. In sulphure ut Albertus de mineralibus tradit, sunt duæ unctuositates adustiuæ, una maior & quasi extrinseca, altera minor & intrinseca. Prima rubra est & remouetur per lotionem, intrinseca uero consumitur post coagulationem Elixir, quod primo nigrescit & deinde successiue paulatim minuitur, & consumitur ea humiditas unctuosa quæ nigredinis causa fuerit. Hoc modo dicimus sulphur remoueri quoniam conuertitur in albedinem perfectam, & postea in colorem citrinum, ultimo uero in colorem rubrum, fit igitur sulphur duabus uicibus nigrum & bis album & bis rubrum.

DEMO: Quanto temporis spacio coagulatur post præparationem sulphuris & mercurij?

GEBER. Simul postea in uas longi colli & rotundæ capacitatis impignatam cinerum cum igne lucernæ, quę quintuplex siue sextuplex elichnium habuerit, coagulabitur uiginti dierum spacio aut citra. In speculo Alchimiæ scriptum est, materiam lento igne regendam donec maior pars in terram nigram conuersa sit, quod fit in 20. dierum spacio.

DEMO: Eo tempore quæ apparebunt signa?

GEBER. Loco supradicto scriptum est, materiam cum ignem senserit, subito in aquam solui, & tunc spiritus sursum eleuari & ascendere per collum longum uasis, & supra aquam subito congregari oleum in modum nebulæ nigræ. Ideo dicit Ioannes de Rupecissa, scilicet post calcem eleuari pelliculam quandam nigram ut oleum, deinde uero post paucos dies materiã coagulari sub aqua in medio uasis eo loco, quo ignis flamma ipsum uas tangit, & paulatim restare & augmentari eam materiam coagulatam, donec quasi terræ globus in medio aquę in prima creatione mundi materia hæc arida emineat, ut insula in medio Maris ab aqua circundata, cõpremũtur autem aqua & sulphur & simul in colore nigro coagulata, in forma oui quod suo acumini insistat.

DEMO: Quamdiu durat hæc nigredo donec incipiat dealbari?

GEBER. Scriptum est in libro Rosarij quadraginta diebus continuis, nam & alteram aquam permanere nigredine coopertam, eam uero nigredinem ultra quadraginta dies non durare si recte & modo debito gubernata fuerit, hæc à ueteribus sub uelo fabularum poeticarum occultata sunt.

DEMO: Mirum sanè Philosophos ueteres hanc artem tam obscuris & Chimericis figmentis occultasse, quæ à nostris grammaticis declarantur & detorquentur ad sensum moralem.

GEBER. Qui huius scientiæ nullam habuerit cognitionem, non capiet rationem aut intentionem ueterum Philosophorum, fingendo tantum numerum deorum & dearum, aut quid isti per istorum generationem stupra & amores uariasq; mutationes designare uoluerunt non intelliget. Stultum enim esset credere hæc ficta, ut morum disciplinam occultarēt, quam tanta cum laude & publice & priuatim uerbis & factis in omni uirtutum genere adeo strenue proposuerunt.

DEMO: Si me tanti secreti faceres participem, præter cætera tua in me collata beneficia, hoc unico me quàm arctissime deuincires tibi.

GEBER. Ne forte credas me solum huius opinionis esse, legas Albertum lib. 1. de mineralibus, cap. 4. qui dicit, Empedoclem qui longo tempore præcesserat Hermetē confirmasse lapides creatos ex calore ardente, huius affirmationis originem corporis ex antiqua fabula Pyrrhæ & Deucalionis, in qua fabula lapides magnæ matris ossa dicuntur, Ossa uero secundum Empedoclem pro parte ex Vulcano composita sunt.

DEMO: Mihi uidentur uerba hæc ab Alberto in hanc sententiam minime dicta esse.

GEBER. Lapides à calore ardenti generati colores sunt nostrorum metallorum ex ignis uehementia generati, & propter duritiem ossa uocantur, & partim ex Vulcano composita sunt, hoc est ex sulphure quod ignis nomine appellatur, quod in ipsis prædominet ignis, hoc est sulphur. Sunt autem lapides magnæ matris dicti, hoc est terræ, quod eorum generatio sit ex metallo, quòd magnam quantitatem terræ in se continet, nam tota substantia fixa & terrea sunt. De Pyrrha & Deucalione fabulantur Poetæ, hos tempore diluuij in nauicula, quam conscenderant, saluatos euasisse solos, per diluuium significare uolantes nostras aquas albas. Verum per Pyrrham & Deucalionem in simul significabāt sulphur istud subtile, quod supra Hermophrodita nuncupari diximus, hi duo saluantur conscensa nauicula, hoc est in illa nigra pellicula quæ supra aquam eleuatur & innatat ut oleum. Per illos lapides quos proijciebat Pyrrha, & conuertebantur in fœminas, significarunt argentum uiuum, hoc quod finita distillatione remanet in Boccia fixum & terreum, per lapides uero à Deucalione proiectos qui in masculos conuerteban tur, significatum est istud sulphur, quod Martis nomine supra appellari diximus. Adhæc legimus apud Albertum lib. 1. cap. 8. 2. tractatus, fabulā de Gorgone, quam finxerunt Poetæ, omnia quæ conspiceret in lapides conuertisse ita explicādam esse, ut per Gorgonem intelligamus uirtutem & potentiam minera lem, & per conspectum Gorgone, dispositionem humorum corporis ad uirtutem lapidificatiuam.

DEMO: Explicatio hæc multo obscurior est, quàm ipse textus sit.

GEBER. Mineralia hæc sulphures sunt, uirtus uero earū fortis, uirtus est metallica indurativa & figens, aspectus autem uaporum, corporum metallicorum ad uirtutem hanc mineralem, fit cum iam fumi ascenderunt in collo longo uasis siue Boziæ, & respiciunt & reducunt retro se ad hanc uirtutem minera lem, quæ indurat & conuertit istos uapores in lapidem nobilissimum philosophorum. Vxor Loth ignem fugiens contra Dei iussum retro spectans conuersa est in statuam salis. Poetæ finxerunt Iouem amore captum Ganimedis eum rapuisse in aquilam conuersus & in cœlum portasse, quæ autem sæpius à nobis dicta sunt de duplici illo fumo in hac fabula comprehendūtur.

Nam per Iouem significatur supradictum sal, quod per distilla-
tionem conuertitur in aquilam, hoc est in aquam mercurialem
quam in ista arte aquilam nuncupare consueuimus, propterea
quod superuolat omnes alios spiritus. In libro de aluminibus
& salibus, legimus atramentum, hoc est sulphur regi per aquilã
affirmante Geber philosopho, quo loco sal armoniacum intelli-
gi debet, per Ganimedem tantæ pulchritudinis intelligendum
sulphur, quod aurum appellari diximus alibi. Iupiter uero hu-
ius amore capitur, propterea quod naturaliter inuicem coniun-
cti & uniti sint in substantia una, propterea in distillatione por-
tat eum secum subuolando in cœlum, hoc est in capitulum siue
capitellum bociæ, hoc est uasis in cœli figura concameratum.
Præterea scribit Virgilius in 6. Aeneid. de Dædalo cum suo
filio incluso in labyrintho ipsis aptasse alas ex pennis cum cæra
quibus euolarent ex labyrintho. Icarus uero nimis alte uolans
in mare præcipitatus est, liquefecerat enim Solis calor cæram
cum qua alæ compactæ & sibi adaptæ erant.

DEMO: Huius fabulæ expositionem auide expecto.

GEBER. Dædali nomen græca dictio est, latinè uarium
significans, & designat nobis sulphur, quod Martis nomine nun
cupari diximus, quod admodum uarium est transmutando se
de colore in colorem, & ab una natura in aliam, sulphur istud pa
rens est alterius sulphuris admodum subtilis & fusilis, quod sub
Icari nomine Dædali filio intelligitur, est enim arsenicum sub-
tilior & fusibilior pars Martis. Per Labyrinthũ poetæ intellige
re uolunt uas siue Bocciam, aut potius uilem lapidem philoso-
phorum, in quo dicti sulphures inclusi sunt. Alæ autem quibus
auolare conantur, & in altum feruntur, sunt hæ res de quibus
mentionẽ feci lib. 2. cap. 10. dicendo, Corpora quæ indigent ad
ministratione rerum subleuantiũ aut exaltantium, sunt Venus
& Mars, propter earum tardam fusionẽ, hoc est solutionem. Ve-
nus enim Tutia indiget, Mars uero arsenico, nam his rebus fa-
cile eleuantur & sursum feruntur, nam inter ipsos magna quæ-
dam conuenientia est.

DEMO:

DEMO: Mihi persuadeo & hunc locum ex illis esse, quos
tu solus intelligis.

GEBER. Per tutiam significatur aqua mercurialis, quæ
per distillationem exprimit ex dicto sale extracto è lapide Ve-
nerem, quam Icari nomine significamus. Iste Icarus simul aqua
ista alte uolat, hoc est in capitellum uasis usq; eleuatur, calore
enim sal dissoluitur. Icarus uero per rostrum capitelli in uas re
cipientis cadit in aquam amaram & ibi suffocatur, nam per de-
coctionem nigrescit. Alæ uero cum quibus Mars auolat ex di
cto lapide arsenicum designant, ut apertè satis diximus lib. 3.
cap. 16. Propterea quòd humiditas & acuitas aceti, mediante
calore fumi agens in corpus calcinatum & subtiliatum, dissoluit
enim & attrahit substantiam salis occultam in isto calore, cum
eodẽ attrahendo subtile quod sulphur Venerẽ nuncupamus, in
profundo huius salis inclusum. Nã propter colligantiã sulphu
rum in hac putrefactione arsenicum attrahit & sursum ferri, &
sublimari facit Martem. Cæra autem cum qua alæ adoptatæ
& affixæ erant, est supradictum sal uiscosum dealbatum, ut cæra
alba Tyrrhenia superius nomine Iouis appellatum. Tradidi
autem hæc fusius, lib. 3. cap. 7. propè finem loquendo de cor-
porum eleuationibus cum spiritibus. Meminit insuper Virgi-
lius rami aurei quo detruncante statim alius subnascitur similis,
per arborem significare uolens sal uegetabile, ex quo per ignis
expressionem distillatur illud sulphur quod aurum appellamus.
Cum enim totum istud sulphur una uice simul omnem rem nõ
exprimatur, sed paulatim guttulã guttula insequendo, finxerũt
ramo uno detruncato statim alium subnasci, hoc est expressione
forti ignis. Sed hoc Senior Philosophus apertius demonstrat
dicendo, animam hanc è petra non exprimi posse una uice, sed
multis uicibus & paulatim, Propter hanc causam ueteres eam
animam & animas, florem & flores, tincturam & tincturas, san
guinem & sanguines, pinguedinem & pinguedines appellasse,
propter tardum egressum de gradu ad gradum. Finxerunt etiã
Iouem iratum patri suo Saturno genitalia excidisse cum acu-

 tissima

tissima falce,& hæc cecidisse in mare, & ex cõmistione ipsorum sanguinis cum spuma maris Venerem procreatã. Per Saturnũ intelligentes prædictũ sal ꝙ pater Iouis dicitur,hoc est ipsius salis præparati quod ab isto generatur,istud sal positum in ignẽ in uase siue Boccia, Iupiter iratus & igne alteratus dicitur, & soluitur in aquã subtilẽ & acutã,significatur ꝑ falcem acutã cũ qua Iupiter iratus patri genitalia excidit,hoc est separat & attrahit secum partes masculinas siue uirilia,hoc est sulphur intrinsecũ in ipso sale,& simul cadunt in uas recipientis,ꝙ significatur per casum in mare,scilicet in aquam salis, ex isto sale & sulphure generatur Venus,ut supra diximus. Hæc aqua currus Phaetontis, quẽ Poetæ Eridanũ uocant, propterea ꝙ ipso uehatur noster Sol & spiritus fœtentes quos appellamus æs,finxerunt etiã quidam Mineruam filiam esse Iouis, Iupiter em̃ suum caput ferẽs, armatã ex ipsius cerebro prosilijsse Mineruam. Figmentum hoc ita intelligẽdũ esse censeo, Iuppiter in ignẽ alteratus caput suũ cõuertit,hoc est sal istud ꝗd Saturni nomine nũcupamus,in quo sal istud subtile,album,molle,humidũ ut cerebrũ continetur, ex quo ꝑ distillationẽ nascitur Minerua armata, hoc est aqua illa uestita siue amicta subtilissima parte sulphuris,ꝙ Martis nomine uocamus. Dicũt præterea Vulcanũ amore captum Mineruę eam ꝑtinacius cõsecutã tandẽ uestę arripuisse,& semen in terrã ꝓfudisse,ex quo puerulus statim natus sit, sic Mineruã Vulcani uim euasisse. Per Vulcanum intelligimus sulphur quod ignem uocamus, & ferrum magno amore afficitur ergo aquam Mercurialẽ quam Mineruæ nomine significamus. Sunt em̃ in simul in uno eodem̃q; metallo. Propterea hanc in calcinatione sequitur & in putrefactione. Cũ uero naturæ sint diuersæ & facillime ab inuicẽ separantur,finxerũt mineruã Vulcani congressum fugere, cũ hoc sulphur non retinet semen quemadmodum aliud subtile sulphur. Propterea dictũ est hanc arripuisse uestę quod cum ipso unitum sit,& cũ suo sale coniunctũ quasi extrinsece & sic inseparatione dimittit suum semen, hoc est eam partem subtilem sulphuris spargendo in terram ipsius salis, ꝑ distillationẽ uero nascitur illud sulphur quod Ganimedis nomine significari

supradiximus, quẽadmodũ etiam Appollinis &Phœbi,& sic eua situires Vulcani ꝑ remotionẽ siue separationẽ hanc, quæ fixioni impedimẽto fuerat. Finxerunt etiã ueteres à Ioue amatam Io, ipsa uero Iouẽ fugiens à crassa & obscura nubecula circũdatam, ut in cursu subsisteret, ꝑ Io significantes supradictam aquã Mercurialem à Ioue amatam cum eiusdem substantiæ sint, simul uero iuncta & Bociæ inclusa ad ignẽ aqua per distillationẽ aufugit ꝑ longũ collũ uasis, deinde recidẽs ad fundũ ubi à Ioue circumdatur pellicula nigra supradicta ꝑ q̃ coagulatur & firmatur Io, hoc est in cursu sistitur. Istæ nigræ pelliculę uela sunt qbus Theseus redijt nauigiæ Athenas,quæ uidẽs Thesei pater sibi ꝑsuadẽs filiũ obijsse ex desperatione,se præcipitẽ dedit in mare et ibi aquis suffocatur . Per Theseum significare uolentes sulphur istud subtile quod in pellicula aut potius oleo isto continetur ꝑ Thesei nomẽ significatũ. Pater uero Thesei Egeus(hoc est sulphur crassum magis)se prȩcipitẽ dat in mare, hoc est in aquã salis,& ibi soluitur & moritur,hoc est suffocatur,nam secũdo denigratur. Inter reliqua plura eiusmodi poetica figmenta tradiderũt ueteres post diluuiũ & terræ exiccatũ ab inundatione aquarũ uarias animaliũ ꝑcies à terra productas, inter cætera uero animalia serpentẽ quandam produxisse, hanc sagitta interemptã ab Appolline siue Phœbo, Hanc fabulam hoc modo interpretati sunt,per distillationem quam etiã ꝓblimationẽ appellamus, primũ lento igne diluuiũ uenit,hoc est intro humiditas aquea apparet, hæc remota & fortificato igne terra, hoc est, materia nostra,quæ multum in se terrestreitatis habet, producit animalia, hoc est sulphur istud subtile quod animale dicimus. Verum inter animalia cætera etiam serpentẽ illũ gignit,quem Phitonẽ appellant,hoc est, aquam fœtidã ,quam Phœbus occidit, hoc est à nostro sale coagulata & denigrata in medicinam humani corporis. Fingunt præterea Martem filium Iouis & Iunonis,sunt tamẽ qui Martẽ sine patre à sola Iunone procreatũ uelint. Per Iunonẽ uero etiam si sæpius elementũ aeris intelligant, tamẽ cum dicunt Martem filiũ esse Iunonis sine patre natum, per Iunonem terræ elementũ intelligunt. Iupiter aũt post putrefactionẽ cũ Marte & Iunone reperitur. Quod autẽ per lotionẽ Mars ab ipsius uentre separatur, ꝓpterea dicitur ipsius filij. Cũ uero filius saltẽ in aliqua parte patri similis esse debeat & marti,hoc uero sulphur ꝙ Martis noie intelligimus Iouis nullã similitudinem penitus referat, calidus enim est & siccus, rufus, durus, absq; uiscositate & solutione,& quasi argento uiuo priuatus,

Iupiter

Iupiter uero frigidus & humidus est, albus, mollis, uiscosus, facilis fusionis & solutionis, quasi argentum uiuum mortificatum, hanc ob causam finxerunt Martem Iunonis filium, hoc est terræ, pinguedo enim terræ est.

DEMO: Ostende igitur iam quo loco Iunonis nomine terræ elementum intelligunt?

GEBER. Finxerunt Iunonẽ filiam esse Saturni, & Opis sororem & uxorem Iouis, & in eodem partu ante Iouem in lucẽ æditam, reginam esse deorum & dearum, diuitiarũ, præesse partui & matrimonio. Aqua uero Mercurialis per Iunonẽ significata dicitur filia Saturni, distillatur enim ab ipso & sua terra significata per Opim. Hæc autem largitur diuitias, hoc est aurũ nostrum, & in ea distillatione generatur Iuno, hoc est aqua illa Mercurialis significata per elementum aeris & Iouis, hoc est sal quod in fundo uasis siue Bozíæ remanet inter feces. Quum uero aqua Mercurialis distillatur prior & prima exeat extra Bocciam siue uas distillationis, dixerunt ueteres Iunonem in eodẽ partu ante Iouem natam. Idem significare uolebam lib. 1. cap. 11. differendo de præparatione Iouis, dicendo, Saturnum eodem modo præparari (deridens eos qui non sunt filij huius artis) aliquando solummodo hoc quod corpora non potest frangere, hoc est terrestritas quæ non frangit, hoc est non soluit corpora sulphurea, adijciendam uero aquam mercurialem quæ prius antequam Iupiter redeat in corpus ex sua calce, hoc est sale albo ut uera calx. Præterea dicũt Iunonem præesse partu, quod distillando producat in lucem Phœbum, ob hoc etiam Lucina dicta, matrimonio quoq; præesse dicitur, propterea quod intermedium quoddam sit in coniunctione tincturarum sulphurearum, hoc est Veneris & Martis. Significatur autem per subtilissimum rete fabrefactum è calibe. Dicebat Morienus, animam, hoc est, Venerem non coniungi cum corpore, hoc est cum sulphure Martis nomine significato nisi mediante spiritu, hoc est, aqua hac spirituali. Dicitur etiam Iouis uxor propterea quod hæc duo simul nostrum aurum progenerent, aut quod simul

simul iuncti sunt & uniti ante distillationem, & adscribunt ipsi regnum super omnes Deos & deas gentiliũ, quos significamus nostris metallis. Hæc enim regit, nam per hanc nascuntur ac soluuntur, subtiliantur ac separantur, coniunguntur, mortificantur, uiuificantur & fructificant, propterea finxerunt eam etiam deam diuitiarum.

DEMO: Ne mireris hactenus tam prolixum sermonem non interrupisse me, nam ut uerum fatear, plurimum delectatus sum hac interpretatione, adeo obscurarum atq; plane Chymericarum, aut potius monstrosarum fabularum & figmẽtorum, & (ut dicam quod sentio) plane persuasum habeo te eiusmodi fabulas omnino detorquere in tui animi sententiam, etiamsi uetares eius intentionis in quam tu eas detorquere studes, nequaquã fuissent unquam.

GEBER. Si tu aliquando interfuisses praxi huius artis, & eius rei periculum fecisses, & filius esses uotis, hanc ueritatem etenim cognosceres & perciperes. Nam nisi negaueris hanc opinionem ueterum quam tibi dixi, scilicet omne metallum in omni contineri, & huius dicti explicationem per me tibi traditam, penitus intellexeris, nunquam negabis hanc ueram esse intentionem antiquorum poetarum, in suis fabulis & figmentis, nam omnibus modis elaborauerunt, ut hanc scientiam penitus obscurarent & absconderent suis figmentis & fabulis poeticis, ut naturæ secreta ignorantibus & indignis occultarent, quod etiam plures sapientes harum rerum periti, mecum affirmare non dubitauerunt. Scribendo etenim finxerunt Latonam stupratam à Ioue, propter quam rem Iunonẽ de cœlo descendisse, hanc in Insula Delo inuenisse, ubi Phœbum & Dianam peperit. Per Latonam intelligentes illud sulphur, quod supra Veneris nomine significari diximus, quod cum impurum sit & alterabile, compositum de Ioue & Iunone, hoc est de aqua illa aerea, descendit de cœlo, hoc est de alembici capitello, & inuenit Latonam in uase siue Boccia, quæ ibi parit Elixir album & ruffum. Finxerunt etiam Vulcanum filium esse Iouis & Iunonis, quem-

admodum etiam ſupra de Marte diximus, quum uero deformis eſſet & facie turpis, ſubito fuit deiectus in Inſulam Lemnios, & ibi nutritus & educatus à ſimijs. Per Vulcanum intellígebant ſulphur quod Martis & ignis nomine ſignificari iam ſæpius monuimus, quod poſt putrefactionẽ coniunctum eſt & unitum Ioui & Iunoni, ſed in diuerſa natura fuſione & ſpiſſitudine & raritate & ab ipſis ſeparatur, propterea quod, ut lib. 3. cap. 4. diximus, argentum uiuum aliud ſulphur non recipiat, eo excepto quod ſuæ naturæ eſt, hoc eſt arſenicum quod de natura ſalis partícipat. Propterea dícunt Vulcanum eſſe filium ipſorum quod ab eorum uentre ſeparetur, quum uero turpis ſit & deformis propter ſuam unctuoſitatem aduſtiuam, abijcitur in Inſulam Lemnios, hoc eſt in uas ſiue Bocciam in quam cadunt ſagittæ, hoc eſt hæc ſulphura, quæ generata ſunt ex uaporibus calidis & ſiccis: ibi nutritus & educatus â ſimijs, hoc eſt, â ueris artiſtis ſiue huius artis perfectis artificibus, qui naturam imitantur. Adhæc finxerunt Athalantam omnium hominum uelociſſimum curſorem, ſuperatum tamen & uictum tribus pomis aureis, per Athalantam ſignificantes noſtram aquam uelociſſimam & leuiſſimam ſuper coniuncta ſulphura, ipſis uero coniuncta, hoc eſt Marti, Soli & Veneri in ſimul, aut cum Ioue qui ſemper plenus eſt Apollínis & confectus, formatur & coagulatur, hæc tria poma tres boli ſunt, quibus Theſeus inuiſcabat ora Minotauri in Labyrintho, per Minotaurum poſitum in Labyrínthum ſignificatur noſtra quinta eſſentia, quæ in uaſe ſiue Boccia inuiſcatur & coagulatur, cum ſupradictis ſulphuribus.

DEMO: Magnas tibi gratías ago, quòd me tanti ſecreti uoluiſti fieri partícipem, ut citra omnem inuidiam ea quæ ab antiquis ſummo ſtudio occultata ſunt pro ſingulari tua humanitate mihi aperires & explicares, nam inde ſpero tandem me uerum ſenſum fabularum & figmentorum poeticorum inuenturum, cum mihi igitur hac parte ſatisfactum ſit, eiuſmodi inquiſitiones relinquemus, ut ſermo noſter inchoatus eò redeat unde diſceſſimus de metallis uerba facientes, ſcílícet ex quonam metallo ſupradictæ res fieri debeant, nam cum ex uno ſolo nec tamen ex auro communi fieri debeant, perſuaſum habeo ex argento fieri debere, & hoc non citra rationem, quumtu iubeas illud aurum accipiendum, quod in profundo metallorum occultatum ſit. Cum uero Luna in profundo aurum ſit, ut in Teſtamento aperte demonſtraſti, omnino argentũ accipiendũ erit nobis abſq; dubio. Scripſiſti etiam lib. 1. cap. 18. Lunam eſſe tincturam albedínis. Et plures Philoſophi Lunam fermentum albedínis nuncupant, & Medici argentum in ſuas mixtiones medicamentorum recipiunt. Albertus adhuc in fine tertij libri de mineralibus dícit, nos certo ſcire, quòd habentia ſimbolum in materia & uirtutibus, & polentijs naturalibus, facilis eſt tranſmutatio adinuicem. & paulo inferius, Non lateat nos, inquit, quòd in omnibus quæ circulares ex ſe inuicem habeant generationes, facilior eſt tranſitus eorum quæ in pluribus habeant conuenientiam, propter hoc etiam ex argento facilius fit aurum quâm ex metallo alio, non enim mutari oportet in ipſo niſi colorem & pondus, & hæc de facili fiunt, compacta enim ſubſtantia magis adhæret pro certo pondus diminuto aqueo, & aucto bono citrino ſulphure conſequenter uariabitur color, hic autem modus eſt & in alijs.

GEBER. Pro certo tibi dico, ſi tota ſubſtantia aurea ſiue argentea nobis præparanda eſſet, non autem reducendo eam ad materiã ſuam primam, hæc longe cæteris præſtare, ſed hoc modo parum eſſe utilia. Verum eſt ſecundum uiam breuem ſupradictam ex argento, facilius aurum fieri poſſe quàm ex alio quouis metallo. Propterea quia conſumata humiditate aquea per calcinationem ſubſtantia reducta, ſit magis fixa. Propterea dixi lib. 2. cap. 18. pondus accreſcere, & per minimã admixtionem noſtri ſulphuris boni & præparati in manifeſto albi, in occulto uero citrini & ruffi, pluribus diebus ſimul decocta tandem mutari in colore, quia color tincturæ in ſulphure occultata per uirtutem caloris manifeſtabitur, & hic modus eſt

communis in omni metallo. Loquendo autem de præparatione Elixir ſecundum uiam prolixiorem nouem menſium, hoc eſt reducendo metalla ad eorum materiam primam, fieri non poteſt ut aurum ſiue argentum ſint meliora cæteris metallis, nam in his non reſtat prima ſubſtantia nec primæ qualitates, exceptis intrinſecis per omnibus ſunt communes. Verum eſt (ut iam diximus) unum ex cæteris metallis in ſua minera aliquam acquiſiſſe ſubſtantiam & proprietatem, quibus præparatum aptius & propinquius fiet noſtræ arti auro & argento, quemadmodum breui intelliges. Reſpondendo uero tuis rationibus adductis, dico etiam ſi ſæpius philoſophi per Lunam intelligãt, & Iouem & Venerem & Mercurium, nihilominus per Lunæ uocabulum etiam intelligi debere ſal Saturni nomine ſignificatum, quod in ſuo profundo ipſum aurum philoſophorũ eſt, ut ſupra diximus. Poſſumus autem per Lunam intelligere ſulphur præparatum album ut Luna, & hoc in profundo aurum & argentum eſt, & tinctura & fermentum albedinis & rubedinis ſupra ſuo mercurio, argentum hoc indurat & figit noſtrum Iouem, & conuertit ipſum in naturam metallicam, & commiſcetur noſtro Soli, ut aperte oſtendimus lib. 1. cap. 18. Etiam poſſumus per Lunam intelligere Elixir album, hoc enim eſt tinctura albedinis, & fermentum albedinis in multiplicatione, & in ſecreto aurum eſt, & facillime in aurum conuertitur, quia continuendo uel fortificando ignem, materia magis figitur & pondus accreſcit, & tinctura ruffa ſulphurea, quæ in profundo latet manifeſtatur. Si autem de Luna medicinam aliquam facere uoluerís pro humano corpore, eodẽ modo fit quo ſuperius de auro à nobis dictum eſt.

DEMO: Si ſupradictæ res omnino è metallis fieri debeãt, et tamen ex perfectis metallis fieri nõ poſſint, neceſſe eſt ex imperfectis metallis ea facere, ſed prius præparatis.

GEBER. Secundum opinionem & rationes Rogerij Baconis, quas ſupra allegauimus de auro communi uerba facientes nullum dubium eſt, nam hæc ſcientia tractat de corporibus imperfectis in quantum conuenit ea facere perfecta, ut in præfatione libri inueſtigationis oſtendi, & Caliſthenes ſummus in iſthac ſcientia uir, dicit Alchimiam ſcientiam eſſe, quæ inferioribus metallis excellentiam & nobilitatem ſuperiorum tribuat, & beatus Thomas in principio 4. lib. Metheo: dicit. Præcipuus Alchimiſtarum ſcopus eſt tranſmutare metalla (ſcilicet imperfecta) ſecundum ueritatem & non ſophiſticè.

DEMO: Puto per percoctionem Elixir imperfecta metalla perfecta fieri.

GEBER. Hæc dico, ſi abſq; corruptione rerum extranearum præparatum perfectum fieri Elixir, & hoc ſatis clare aperte demonſtraui in procemio libri Inueſtigationis, & in cap. de præparatione aceti acerrimi, & adhuc lib. 1. cap. 8. dicendo quod in depuratione metalla imperfecta ingenio & induſtria per artificium reducantur in puram & nobiliorem ſubſtantiam breui tempore, quod â natura non poteſt fieri. & in lib. Teſtamenti dixi, quòd omne metallum, intellige imperfectum, per calcinationem poſſit conuerti non ſolum in ſal, ſed etiam in uerum Solem & ueram Lunam, neq; tu poteris mihi hoc loco obijcere, intellexiſſe me de metallis perfectis, quum hæc ſint uerus Sol & uera Luna, neq; per proiectionem ſed per calcinationẽ hoc fit, præterea diximus in lib. Inueſtigationis, cap. de Vitriolo, quod ex corporibus imperfectis extrahãtur diuerſa uitriola, quæ nobis neceſſaria ſunt & utilia, diximus etiam diuerſa uitriola, quod in iſta arte non ſolum alumina ſed etiam ſulphures uaria genera dicuntur uitriola, lib. 4. cap. 9. uerba faciens de medicina tingente, Lunam in aurũ, diximus fieri hanc, antecedente adminiſtratione nota & certa corporis imperfecti. Et ſi mea opera à me conſcripta diligenter euoluiſti, animaduertiſti nimirum me in lib. de radicibus hanc ſententiam protuliſſe, uidelicet cum uideremus corpora imperfecta, noſtra experientia & induſtria præparata & mundificata ab omni ſuperflua corruptione, maiorem claritatem & ſplendorem acquirere, quàm corpora naturaliter perfecta, nos tandem ex ea conſideratione peruenisſe

ad finem huius operæ & ſcientiæ. In lib. ſpeculi Alchimiæ ſcriptum eſt, ſi inuenimus materiam in qua ſit argentum uiuum mundum, clarum, album aut ruſſum congelatũ in maſſam nondum perductum ad complementum tali modo, ut noſtra induſtria & naturali ingenio ad intimam ipſius perfectamq; mundificationem, & completam puritatem peruenire poſſumus, taliter ut poſt complementum operæ mille uicibus fortius & perfectius ſit alijs corporibus coctis ſimplici calore naturali iam degustaturos nos delectabile hoc, ſupra quod omnis intentio philoſophorum fundata eſt. Præterea dicit Albertus lib. 5. de mineralibus cap. 1. omnium metallorum proprium eſſe, ut appareant incompleta eſſe in ſpecie, & ideo in quolibet conuertibilia, mediũ uero proprie dictum habet informem naturam, quã formatam diſtinctam extrema retinent, propter quod extrema per ingenium & naturam de medijs redũcuntur, quando unitur unius extremi ſupra alterum, debemus autem mediorum naturam ſumme notare ad tranſmutationem metallorum, quia in eis conſiſtit plurima ſcientia eorum, quæ unum in aliud conuertere nituntur.

DEMO: Percipere nequeo quid hoc loco ſibi uelit Albertus per media hæc extrema & uirtute extremorum.

GEBER. Per media mineralia hoc loco intelligit Albertus metalla imperfecta quoniam ſunt iam in uia ad perfectionem, non quòd ab ipſis per naturam reduci poſſit metallum aliquod perfectum, ſed quòd ab ipſis per artificium extrahi poſſint perfectiſſima extrema, hoc eſt Elixir album & ruſſum, & quia uirtus hæc extremorũ in ſulphuribus, & ipſo argento uiuo conſineatur metallorum imperfectorum, tunc fiunt extrema, hoc eſt Elixir album & ruſſum. Ob hanc cauſam diximus, lib. 1. cap. 16. quòd metalla imperfecta abſq; commiſtione alicuius rei extremæ fieri perfecta.

DEMO: Si bene memini, dixiſti eodẽ loco prædicto perfectũ, hoc ipſo magiſterio perfectũ fieri, & perfectum etiam imperfectum ad perfectionẽ perducere, & deum teſtaris hæc ſimul alterari & perfecta fieri.

GEB:

GEBER. Eo loco per perfectum non intelligo neq; aurũ neq; argentum cõmune, ſed ſupradictos ſulphures præparatos pro parte fixos, per imperfecta uero intelligo ſupradictũ ſal præparatum argenti uiui, nomine ſignificatum & louem, & ex his unum ab alio ad perfectionem perducitur, quoniam ſulphur inſpiſſat figit & tingit mercuriũ, Mercurius autem ſubtiliat & fuſibile reddit, incerat & ſeruat ſulphur â combuſtione. Hoc autẽ modo unum ab altero alteratur, & hanc reſponſionem poteris habere ex lib. 1. cap. 11. in medio capitis.

DEMO: Mea ſententia, improbaſti eo loco modum hunc.

GEBER. Improbaui quidem eo loco modum hunc quantum ad literam puram & nudam, non intelligebam enim de cõmunibus corporibus, ſed de Philoſophorum metallis, ſed ut tandem totam ſummam breui ſermone compræhendam, concludo ipſum Elixir, quintam eſſentiam & aurum potabile fieri debere ex metallis imperfectis communibus, quoniam hæc artificio adiuuari, & ad perfectionem perduci poſſunt, & faciliter reducuntur ad ipſorum materiam primam, quum in ſe habeant cauſam corruptionis, quas cauſas enumerauimus nos lib. 3. cap. 6. & accidentia quoq; materiæ primæ ſuperuenientia, facile ab ijs remouentur & indigeſtæ partes poſſunt digeri.

DEMO: Dixiſti ſupradictas res fieri debere ex uno metallo ſolo, quomodo igitur continẽtur in omni metallo impfecto?

GEBER. Fatendum eſt ſupradictas res in omnibus metallis perfectis & imperfectis contineri, debemus autẽ inquirere & exquiſite cognitam habere naturam omniũ metallorum cõmunium, & ipſorum proprietatem diligenter examinare, quæ nam ipſorum ſint facilioris aut difficilioris præparatiõis, & quæ nam noſtræ arti aut propinquiora aut remotiora ſunt, & tandẽ quæ nam pura aut uiciata ſunt in ipſorum radice, ut ſatis aperte monui in fine lib. 1.

DEMO: Erit igitur omnino plumbum accipiendum, ob hanc cauſam q̃ alibi dixiſti in ipſo cõtineri omnia philoſophorũ metalla, & lib. 1, cap. 19, dixiſti, plumbum etiam ſi ad argentum

minime

minime accedere possit, tamen nihil minus per nostrum artifi-
cium ex ipso facile argentum fieri posse. Et adhuc in lib. Inue-
stigationis uerba faciens de plumbi aqua, dixisti, hanc esse a-
quam argenti uiui & sulphuris proportionaliter facta, qua uti-
mur in compositione Elixir ruffi. Hermes uero dicit, quòd in
Saturno naturæ coniunctæ sint cum complemento, hoc est ter-
ram, aquam, aerem & ignem in ipso contineri, & quòd hic cla-
uis sit & apertio huius scientiæ. Rasis præterea dicit in plumbo
Solem & Lunam contineri in potentia non uisibiliter, & quòd
ipsorum tinctura ab eo non separetur, & quòd ipse Saturnus sit
Elixir album & rufum, & aqua quæ mercurium retinere & co-
hibere possit. Pythagoras dicit, omne secretũ in plumbo esse.
Hermes insuper de Saturno loquens, dicit se præstantiorem &
rem magis possibilem eo scire in operatione albi & ruffi. His
causis plures moti sunt ut quærerent ex plumbo argentum ui-
uum extrahere.

GEBER. Iam sæpius te monui, atq; prædixi Philosophos
sic aperte loquentes, semper per æquiuocationem & similitudi-
nem & allegorias loqui. Propterea dixi lib. 1. cap. 19. quosdã
certo affirmare, plumbum in sua natura quàm proxime accede-
re auro, ita philosophi plumbum laudantes, de plumbo philoso-
phorum locuti sunt, in quo omnes res, de quibus supra facta est
mentio simul continentur.

Plumbum Philosophorum

DEMO: Dicam igitur nunc cum in plumbo non sit Eli-
xir, ex stagno tandem extrahendum esse, ea de causa q̃d dixeris
lib. 4. cap. 18. te considerasse per examen huius magisterij, Io-
uem maxime accedere ad summam perfectionem in opere ordi
nis maioris. Et lib. 1. cap. 22. dixisti Iouem inter cætera corpo
ra transformari, in magis splendidum lucidiusq; atq; perfecti-
us corpus Solare & lunare, & adhuc lib. 3. cap. 9. dixisti satis
manifestum esse Iouem propius accedere ad perfectionem, pro
pterea quod magis de perfectione participet. Item lib. 1. cap.
20. dixisti Iouem perfectiorem esse multos reliquis corporibus
imperfectis, propter ipsius affinitatem cum Sole & Luna, hoc
affir-

affirmat etiam Rasis, qui dicit, stagnum tincturam esse albam
æris siue cupri, & quòd ex ipso fiat aqua acuta quæ Mercurium
retinere & cohibere possit, & tu ipse iubes in lib. Inuestigatio-
nis, honorare aquam Iouis ea de causa, quòd hæc sit illud ipsum
quod quæratur ab omnibus ad albedinem.

GEBER. Satis argutè nouisti ex meis scriptis, ea quæ
tuæ sententiæ suffragari uidentur excerpere, & in medium pro
ducere, sed mea scripta longe aliam diligentiam in euoluẽdo &
intelligendo studium requirunt.

DEMO: Res ipsa facile iudicabit, quanto studio, diligen-
tia atq; sedulitate, tuis scriptis hactenus insudauerim, nam si co-
gites quàm proprie non solum ipsas sententias, sed etiam singu-
la uerba memoria teneam, cognosces me haud oscitãter in tuis
scriptis uersatũ. Dic igitur quid nam causæ sit, cur minus quod
tanto studio assequuturum me speraueram, assecutus sim?

GEBER. Quia parum animaduertisti lib. 3. cap. 12. di-
xisse me plumbum & stannum commune in sua propria radice
immunda esse, & in ipsorũ prima creatione, habent enim sub-
stantiam immundam, tum sulphuris tum argenti uiui. Cum ue-
ro purum cũ impuro una substantia facta sint, & essentia una,
propterea possibile non est, ut aliqua industria per medicinam
primi ordinis, hoc est per præparationem aliquam, remoueatur
terrestreitas hæc ab ipsis argenti uiui adeo immundi atq; impu
ri. Quare iam olim plane desperaueram, cum intelligerem hoc
corpus non posse præparari, ut tandem perueniret ad comple-
mentum sui splendoris lucidi. Verum ad me ipsum rediens co-
gnoui corpora hæc munda esse in profundo suæ naturæ, propte
rea dixi lib. 2. cap. 7. si sublimaueris, hoc est extraxeris argen-
tum uiuum ex plumbo siue ex stanno communi, ea post sublima
tionem apparere nigra, & adhuc lib. 4. cap. 8. dixi, in corpori-
bus mollioribus nullo ingenio uel industria hoc artificio non re
moueri posse uelocem illam fusionem, neq; impuritatem, in ra-
dice principij ipsorum, Possumus etiam his subiungere ea, quæ
lib. 2. cap. 2. monuimus. Videlicet quum sulphur & arsenicum

nostrum

noſtrum, non parum etiam naturaliter coniuncta ſint cum fecibus, neceſſe eſſe, ut in ſublimatione aſcendant ſurſumq́ uehantur cum ſubſtantia non mundata. Cum igitur neq́ plumbum neq́ ſtannum habeant ſubſtantiam fixam, hoc eſt duram, terream & permanentem in igne uehemẽti ſed aufugientem, neq́ ſpiritus ab ipſis per ſublimationẽ extracti aſcendant abſq́ ciuſmodi immundicijs, quum non habeant terram fixam & permanentem in igne uehementi, quæ retinere poſſit ſecum partes illas immundas, ne inter ſublimandum aſcenderent cum ipſis ſpiritibus. Propterea dixi cap. ultimo, lib. 1. ea metalla quæ in ipſa radice participauerint de maiore infectione liuiditatis, plus laboris requirere & minoris eſſe perfectionis, hæc uero ſunt plumbum & ſtannum commune.

DEMO: Dixiſti tamen ni fallor lib. 3. cap. 8. conſideraſſe te corruptiones in ſtanno, in ipſa radice ſibi non eſſe coniunctas ſed accidentales eſſe. Cum igitur in prima commiſtione ipſi non coniunctæ ſint, nimirum poterunt ab ipſo facile remoueri & ſeparari. Dixiſti etiam cap. 10. Iouem quidẽ mundum eſſe, Saturnum uero immundum. Et lib. Inueſtigationis ſcribis, quòd omnia accidentia ſuperuenientia facile remoueri poſſunt, & ipſa corpora integre & ſufficienter præparari.

GEBER. Sanè ſi ea quæ ſupra longo ſermone proſequuti ſumus recte intellexiſſes, nequaq́ hæc noſtræ reſponſioni obieciſſes. Cum enim dicerem, ſtannum quidem purum eſſe & tincturam albedinis æris ſiue cupri, & ipſum proximum eſſe auro & argento, & ſatis propinque accedere ad perfectionem in ordine maiori, hoc eſt in multiplicatione, mea intentio erat de metallis ſupradictis, dicens autem Saturnum immundum eſſe, uere dictum eſt de noſtro Saturno, ſed hæc ipſius immundicia ſibi non eſt in radice coniuncta, propterea ab eo facile remouere, quum uero dixi metalla perfecta in ipſorum radice munda eſſe, & quòd omnia accidentia ab ipſis facile remoueantur, ne dictum putes de plumbo & ſtanno communi, ſed de alijs.

DEMO: Rogo antecq́ longius hunc ſermonem protra-

has, prius apertius dicere uelis, quid de ordinum numero ſentire debeam, putaui enim hactenus, primum & ſecundum ordinem ſophiſticos & medicinas imperfectas eſſe.

GEBER. Suſpicaris forte me tradidiſſe ſophiſticationes & medicinas imperfectas? Debebas certe iamdudum cognouiſſe noſtrum arſenicum & cætera materialia, quibus utimur non eſſe illa uulgaria omnibus nota. Præterea exhortati ſumus lib. 1. cap. 5. huius artis artifices, ut fugerent opera ſophiſtica. Dico autem medicinas primi ordinis imperfectas eſſe, ea de cauſa, quòd ſulphur ſit medicina argenti uiui, quod Iouem, Saturnum & Lunam uocauimus. Argentum uiuum autem medicinam eſſe ſulphuris, quod Solem, Venerem & Martem appellauimus, & hæc in primo ordine, hoc eſt in prima præparatione, per quam mundificantur ab accidentibus ſuperuenientibus, & in ſecundo ordine, hoc eſt in ſecunda præparatione, hoc eſt decoctione & fixione, per quam mundificantur ab unctuoſitate aduſtiua intrinſeca, imperfecta ſunt, donec perfecte mundificentur & figantur. Quemadmodum uero ſolus homo cũ perpetuo uiuere non poſſit, neceſſe fuit ut ſociaretur mulieri, ut per coniunctionem hanc creſceret & multiplicaretur genus humanum, pari modo etiam noſtrum Elixir quum per plures & ſæpius iteratur proiectiones breui abſumeretur & finiretur, multumq́ laboris & magnum temporis diſpendium requiratur ipſius præparationem toties à primo principio repetere, neceſſarium fuit ut abbreuiaretur & præparatio & fixio, commiſcere partem aliquam Elixir fixi cum muliere, hoc eſt cum noſtro argento uiuo quod Iouem uocamus, neq́ fixum neq́ è terra factum, quemadmodum ſulphur. Cum uero hæc conuenientiam quandam habent in ſua natura, eò facilius uniuntur, & breui tempore multiplicantur in uirtute & quantitate. Propterea dicebam, ſupra Iouem magnam habere affinitatem cum Sole & Luna, & q́ proxime accedere ipſum ad perfectionem & quaſi perfectum eſſe, & quod transformatur in magis fulgidum atq́ plus perfectum corpus Lunare & Solare. Dixi etiam in proœ-

mio lib. 2. consideratione rei quæ ultime causat perfectionem Elixir in multiplicatione, considerationem esse coctionis substantiæ puræ argenti uiui. Est etiam Elixir medicina, originē habens ex substantia pura argenti uiui Philosophorum, id uero quod iam medicina factum est, argentum uiuum esse desijt, & naturam ipsius reliquit, quia transmutatum est & fixum, tamen non totum ex argento uiuo natum est, sed etiam partim ex sulphure, quamuis & hoc fuerit ex parte argenti uiui, quod transmutatum suam naturam reliquit, hoc est cum pars quædam ipsius iam facta sit lapis philosophorū. In lib. de Vaporibus scriptum legimus, Alchimiæ artifices uti Borrace in multiplicatione sui metalli, per Borracem intelligendum sal præparatum, ꝙd mercurij nomine designari diximus & Iouis. Si autem adhuc dubitaueris num hæc de primo, secundo & tertio uera mens & opinio mea sit, age lege recapitulationem summæ, & considera diligenter ea quæ ibi diximus de sublimatione primi gradus per quam lapis noster mundatur & purificatur ab impuritate corrumpente, & redditur purus & uolatilis. Postea figitur & hoc appellamur gradum secundum præparationis. Tertius uero gradus administrationis lapidis est, ut fixum faciamus uolatilem, & hæc est multiplicatio. Ecce igitur primum gradum esse præparationis, secundum fixionis, tertium autem multiplicationis. Et quemadmodum Elixir nostrum quod fit aureum & argenteum, paucis diebus figit & transmutat mercurium nostrū, sic quoq; sulphur nostrum totum cum in parte fixum sit, & naturam & splendorem habeat metallicam, propterea etiam breui tempore figit nostrum mercurium siue argentum uiuum, uolatile uero absq; fixo nunq; poterit figi in metallo. Extrahuntur uero supradictum argentum uiuum, & Iupiter ex fecibus combustis salis per lotionem. Rasis in lib. Luminis luminum dicit, feces cum dealbantur magnesiam appellamus, & stagnum & spumam Iouis. Præterea dicit Philosophus Mireris, capiendas esse cineres, de quibus philosophi locuti sunt dicentes, ne uilipendas cineres existentes in loco inferiori uasis, quia in ipsis situm est

est diadema cordis. Idem dicit in fecibus esse hoc quod quæris. Hermes itaq; loquendo de distillatione Saturni dicit. Cape ipsum & exalta eum in tabernaculo, eousq; donec totus in uaporem consumatur, & plus nihil ascendat, & aquam sublimatam conserua ad tempus opportunum. Postea accipe feces remanentes in fundo Bocciæ siue uasis, & serua diligenter, nam ipsæ sunt corona cordis. Scriptum est in libro Turbæ philosophorum, Iubeo ut aduratis corpus & in cineres conuertatis, hoc em̄ corpus adustum Phœnix est, qui ardet in igne & comburendo renouatur, nam corpus hoc adurendo ex cinere extrahitur, Iupiter qui coniunctus cum una parte Elixir semper multiplicatur & augmentatur. Dicit autem Hermes, cum uidebis corpus conuersum in cineres, perfecte gubernasti illud. Rasis itidem in libro Luminis luminum, dicit aduri non posse, nam post extractionem olei remanere terram. Idem affirmauimus & nos lib. Inuestigationis uerba facientes de præparatione atramenti nigri. Et lib. 2. cap. 2. dicendo, possibile est à salibus separari feces per solutionem salium, quæ res aliæ nulli conuenit. Idem confirmaui adhuc in enarratione trium causarum descensionis libro iam citato cap. 11. Pro declaratione uero causæ secundæ scire debes per corpora debilia intellexisse me aquam & oleum, quæ in distillatione conseruantur à combustione, per descensionem in uas recipientis post reductionem in corpus ex calce, hoc est ex salibus eorum, quoniam distillando non possumus uno siue eodem tempore partes omnes in simul distillare, quia ea pars quæ prior reducta fuerit in capitellū uasis, non expectat iam sequentem, si uero capitellum fortiorem ignem recipiat maior pars perdatur, propterea necesse fuit ingenio & industria, id quod iam ascendit in capitellum per rostrū capitelli educere & aufferre, & in uas recipientis paulatim colligere, ubi refrigerium caloris inueniet. Diximus adhuc cap. 6. prædicti lib. sæpius caput Aludelis adintratur, ne ex nimia multiplicatione in fundum recidant. & in libro Inuestigationis cap. de præparatione Iouis dixi, descendit corpus purum & mundū,

 remanens

remanens cum uitro & ſalibus ſiue aluminibus, tota ſubſtantia terrea, hæc ſententia poteſt capi duplici ſenſu, quemadmodũ noſtra corpora duplicia ſunt, hoc eſt ſulphur & arſenicũ. Nam ſi per corpus ipſum ſulphur intelligere uelimus, dico in lotione & præparatione ipſius primo aſcenſurã pelliculam illã, poſt hanc uero purum & mundum ab ipſa unctuoſitate aduſtiua, hæc aũt fundi debet donec liquefiant, ſicut diximus in libro de praxi. Iam uero cũ ſale aut potius alumine, Saturni nomine deſignato & cum uitro, hoc eſt cum ſulphure quod in eo ſale occultatum eſt, remanet omnis ſubſtantia terrea ipſius ſalis. Sin autem per corpus arſenicũ intelligamus, hoc eſt iſtud ſulphur ſubtile ꝙ in ipſo ſale occultum eſt, dico quòd p diſtillationẽ deſcendat in recipientem, & poſt iſtud cum uitro, hoc eſt in Boccia, & cum ſalibus aut aluminibus remanebit omnis ſubſtantia terrea in fundo uaſis, & iſtud ſal præparatum uocatur Iupiter. Reuertendo uero ad ſermonem noſtrum de metallis imperfectis, dico ex ſupra ſcriptis rationibus tandẽ concludi Venerẽ & Martem cõmunẽ, quamuis magnam habeant terreſtreitatẽ & ſulphuritatem accidentalẽ, quæ facile remoueatur, nihilominus in radicibus ſuis munda eſſe, & ſulphur & argentũ uiuum ipſorũ purũ & mundũ diſtillari poſſe ſiue ſublimari, quũ habeant partes fixas & connaturales ſibi coniunctas, ut diximus lib. 2, cap. 2. Propterea diximus adhuc lib. 4. cap. 3. dealbationem ſubſtantiæ Veneris & Martis puram eſſe, & ſimiliter rubificationem Lunæ.

DEMO: Hæc nõ uidentur mihi in hanc ſententiã prolata.

GEBER. Poſſunt duplici modo intelligi, uno modo ſi intelligamus hæc de metallis communibus, dico dealbationẽ, hoc eſt argentũ uiuum quod medicina alba eſt ſui ſulphuris, per rubificationem uero ſulphur eſt intelligendum Veneris & Martis quod tinctura eſt rubedinis ipſius argenti uiui, quod Lunam uocamus, & hæc pura ſunt in ſua radice. Si autem per Venerem & Martem intelligamus ſupradicta ſulphura extracta ab unoex ipſis, dico poſt putrefactionem fieri munda, propter unctuoſitatem aduſtiuã, & quamuis ruffa ſint, nõ acquirunt tamen eam rubedinẽ cum medicina primi ordinis, hoc eſt, per primam præparationẽ cum apparitione ſplendoris cum immunda ſint & minime apta, ut recipiant fulgorem rubedinis. Et quia uero per lotionem remoueatur prima hæc rubedo aduſtiua, & ſub hac rubedine immũda lateat albedo pura, ipſorũ dealbatio pura eſt, mutati uero ab hac prima natura, & p longam decoctionẽ fixa fiũt, rubificatio pura Lunæ, hoc eſt Elixir albi ſiue argenti uiui ſui.

DEMO: Concedo hæc duo metalla munda eſſe in radice, quũ uero hoc opus fieri debeat ex unico metallo ſolo, ut ſæpius iam dictum eſt, nimirũ fieri debebit ex ære ſiue cupro, habet eñ hoc plus ſubſtãtia argenti uiui & minus terreſtreitatis, & ſulphureitatis aduſtibilis, idem affirmãte te ipſo lib. 1. ca. 2. in quo loco dicis Venerem in profundo ſuæ ſubſtantiæ colorem & eſſentiã auri oſtendere, malleabile enim eſt & ignitur ut argentum & aurum, quare ab eo accipiendũ ſecretum hoc, cum medium quodam ſit inter Solem & Lunam, & facile conuertatur ab una tinctura in alteram, & ſit bonæ cõuerſionis & laboris pauci, accipiendum igitur hoc præ cæteris corporibus imperfectis omnibus in opere minori & medio, minus uero in maiori, & cap. 17. dicis adhuc lib. eodem, te ex naturæ operatione cognouiſſe æs ſiue cuprum in aurũ tranſmutari poſſe, cum in mineris cupri ſiue æriſodinis uideamus fluentem aquam ſquamulas ſubtiliſſimi æris ſecum ducere, quæ ex continuo aquæ decurſu lauantur & mundantur, ceſſante uero fluxu aquæ uidiſſe te ſquamulas illas cũ arena ſicca poſt triennium Solis calore ita decoctas eſſe, ut inter ipſas inueniatur aurum ueriſſimum, imitantes uero naturam cum poſſumus, idem & nos alterabimus.

GEBER. Hic ſane ſcrupus eſt, in quem etiam iſti qui ſe in his artibus multum ſapere putabant grauiter impegerunt, nec parũ offenſi ſunt, neq; meminiſti tu dixiſſe me ſulphur illud ſubtile noſtrum eſſe æs ſiue cuprum, qd in manifeſto colorẽ ruffum præ ſe fert, in occulto aũt nigrũ & album, poſtea uero ruffum, malleabile & igniferũ, hoc eſt funditur & ſoluitur ignitione ut aurũ & argentũ, quemadmodũ ea quæ ex ſulphure & argento ui

uo

uo cõpoſita ſunt, hoc accipe igitur ꝙa unũ eſt ex tribus ſecretis, aut potius accipe ſecretum, hoc eſt colorẽ aureum & argenteũ occultum, quia tinctura facilis & extrinſeca, neꝙ utilis eſt neꝙ pmanẽs, & quum inter medium ſit inter Solem & Lunã, hoc eſt ſulphur & argentũ uiuum, facile conuertitur ex una in alteram tincturam, hoc eſt, facile recipiet colorem citrinum, hæc autem tinctura facilis utilis non eſt. Accipe autem hoc ſupra omnia imperfecta corpora, hoc eſt præferas hoc ſulphuri Martis nomine deſignato, quia aurum dicitur, in opere minori & mediano, hoc eſt in præparatione quia facile præparatur, & in mediano opere intellige fixionem, cum ſit magis ſubtile & purum, propterea facilius & magis perfecte tranſmutatur & melius figitur. In opere uero maiori, hoc eſt in multiplicatiõe non accipias ipſum quia ſolus Iupiter hic accipiendus erit. In alteram uero ſententiam quod æs ſiue cuprum conuertitur in aurum, parum recte iudicas, ſi tibi perſuades hoc â natura ſic fieri poſſe, nam impurũ cum puro aliquantum permixtum, quamuis tamen impurum accidentale ſit, non poterit tamen ablui ea lotione ſuperfluitas, niſi & purum quoꝙ ea ablotione ſimul cum impuro abſtergatur. Quare dico mineram noſtri æris eſſe iſtud ſal ſupradictũ, Saturni nomine ſignificatum, ex quo per diſtillationem extrahatur aqua ſecum ducens noſtrum æs ſubtiliſſimum, quod Bocciæ inditum cum cæteris ſpiritibus, per continuum curſum uaporum & humiditatem ipſius argenti uiui quæ aſcendit 40. diebus (ut aqua diluuij) & deſcendit per collum uaſis ſiue bocciæ, & lauatur ſic & mundatur â nigredine, ceſſante uero humiditate & iam facto albo Elixir bocciæ impoſitum cineribus ſiue arena in capello obrutum igne temperato, ſpacio trium menſium, fit Elixir rubeum ſiue aureum. Concludendo itaqꝙ dico, ſi tota ſubſtantia nobis eſſet præparãda aurum primas tenere partes, proxime argentum & tertio æs ſiue cuprum. Cum uero nos tantummodo quæramus ſpiritus radicales & ſulphur, totum hæc uno in ferro uirtuoſiora ſint & propinquiora noſtræ arti, & multo facilius mundificari poſſint præ cæteris omnibus, ſine dubio illud

Dialogo di M. Giouanni Braicello di Iorci nouj nominato
il Leon della vita, nel quale si dichiara qual fosse
la medicina
Gli antichi
fussi padri viuessero
nouecento anni

LIGNVM VITAE.

DEMOGORGON

RAYMVNDVS.

DEMO. Salue plurimũ doctiſsime Raymunde.

RAYM: Bene ſit tibi uir optime, ſed cupio ſcire quis ſis aut ad quid huc ueneris?

DEMO. Tuæ ſapientiæ fama egregia & celebris & tua doctiſsima ſcripta aperte demonſtrãt habere te magnam cognitionem omnium ſcientiarum, cum uero omnis homo maxime uero ſenes unice cupiunt quâm longiſsime uiuere, propterea ego quoꝙ etiam ſenio grauatus ex Italia meum iter huc uergebam in inſulam hanc Maioricam, ut uenirem in conſpectum tuum, & certum aliquod remedium â te acciperẽ, quo uitam meam ad aliquod tempus poſſem longius producere & me â morte abſqꝙ aliqua infirmitate defendere.

RAYM: Ignoras tu, Deum unicuiqꝙ terminum uitæ ſuæ conſtituiſſe, quod nullus præterire poterit?

DEMO. Non peto remedium cõtra illum terminum ultimum, qui unicuiqꝙ â Deo prefinitus eſt, ſed ut me â plurimis infirmitatibus quibus indies humanũ fragile corpus affligitur præſeruarem, & contra abſumptionem humidi radicalis & caloris naturalis deperditionem ſuſtinerem, Nam perſuaſi mihi, patres priſcos qui ad quingenteſimum annum ſuæ uitæ terminũ prorogabant, aliqua uſos medicina, per quam tam longo tempore abſqꝙ infirmitate aliquam producerent uitam.

RAYM: Priſci patres longo tempore uiuebant ex Dei uoluntate, ut per ipſorum uitam longã eo citius humanum genus multiplicaretur.

DEMO. Quare igitur non uiuebant omnes tam longo tempore?

RAYM: Qui priſcos illos patres propius ſequebãtur in ſucceſsione, uiuebant longiori tempore tanquam parum progreſsi â prima creatione Dei, nam erant bonę & laudabilis complexionis & longæui, hæc uero bonitas longa ſucceſsione minuebatur, & quanto propiores eſſent primæ creationi tanto longiori tempore uiuebant.

DEMO. Debebant igitur omnes illi longo tempore uiuere, cum tamen ſacra ſcriptura mentionem faciat de paucis.

RAYM: Ab initio annus more Aegyptio tam longi temporis non erat neq; duodecim menſes capiebat ut hodie.

DEMO: In ſacra ſcriptura non tantũmodo annorum ſed menſium quoq; fit mentio, non fuerunt igitur anni Aegyptiaci ſed more Hebræorum definiti & tam longi ut hodie ſunt, ut S: Auguſtinus affirmat in lib. de ciuitate Dei.

RAYM: Fructus & omnia, quæ ex terra naſcuntur tũ meliora & maioris uirtutis erant ante diluuium pro ſuſtentanda & proroganda uita atq; hodie ſunt.

DEMO. Debebant igitur omnes longo tempore uiuere quod minime factum certe ſcimus.

RAYM: Non erant omnes eiuſdem complexionis & fortitudinis.

DEMO. Impoſsibile ſanè eſt habere aliquem adeo bonam & fortem temperatamq; complexionem, ut noningenteſimum annum uitæ ſuæ attingere poſsit ſine auxilio medicinæ conſeruatiuæ.

RAYM: Primi patres habebant lignum uitæ quo ſe longo tempore â morte defendebant.

DEMO. Cum ſubito ex terreſtri Paradiſo excluderentur fuerunt priuati ligno uitæ.

RAYM: Ego tibi referam cauſam eorum longæuitatis. Adam â terra creatus omni ſcientia ornatus, cognitionem habuit omnium rerum naturalium, & cognoſcebat eas res quibus uita poterat prolongari & ipſis utebatur. Hæc etiam ſuccedentibus ſibi tradens, â quibus etiam deinde alij ſequentes hoc accipiebant per manus, propterea non omnes uiuere poterant ætatem tam longæuam cum omnibus non eſſet tradita huius rei cognitio.

DEMO. Abs te igitur peto, qui omni ſcientia imbutus es ut mihi oſtendas medicinam hanc quam Adam ſuis poſteris tradidit, per quam uitam ſuã ad noningentos produxerunt annos.

RAYM: Medicinæ conſeruatiuæ debent multum durabiles eſſe & â corruptione remotæ (ut manifeſte ſcripſimus lib. de ſecretis naturæ) nam ſi corpus humanum præſeruare debeant â corruptione, neceſſe eſt ut ſint perpetuo durabilia, nam aliàs inducerent maiorẽ corruptionem. Ergo uolentes iuuenilem conſeruare & producere iuuentutem, & ſenibus reſtaurare humidum radicale & naturalem calorem, neceſſe eſt ut eligamus ſubſtantiam incorruptibiliorem cæteris omnibus quæ ſunt ſub glo bo Lunari & hanc præparare in medicinam & cibum ſuauiſsimum ut poſsit ſumi per os intra corpus, & ſic ſumpta quàm uelociſsimè penetret per totum humanum corpus & illud ſeruet quaſi incorruptibile.

DEMO. Mihi ſane uidetur (ut ingenuè fatear quod ſentio) impoſsibile eſſe ea quę iam dixiſti, nam omnes res corporeæ â Deo in uſum humanum creata ſunt, aut ipſa elementa aut res elementatæ, & hæc omnia corruptibilia, unde habebimus igitur medicinam hanc incorruptibilem? uidemus adhæc omne quod generatur, â ſuo ſimili generari (ut affirmat Ariſtoteles lib. 7. Metaphi.) & quicquid ex humana carne deperditum fuerit & cõſumptum, neceſſe eſt ut reſtauretur ex alia re corruptibili, uidelicet ex cibis corruptibilibus qui uirtute caloris naturalis corrumpuntur & tranſmutantur in ſtomacho hepar & mẽbris omnibus per uirtutẽ potentiæ nutritiuæ ut conuertantur in carnẽ humanam. Si autem hæc medicina incorruptibilis eſt, nunquã poterit tranſmutari in carnem humanam, quemadmodum materia cœli nunq; tranſmutari poteſt in materiã elementalẽ.

RAYM: Doctè ſatis hæc in medium protuliſti, putas aũt in rebus elemẽtatis nihil præter elemẽta corruptibilia inueniri.

DEMO. Oſtende mihi igitur illud quod præter elementa rebus elementatis immixtum ſit,

RAYM: Subtílis quædam ſubſtantia hæc eſt & radícale humidum & intrínſecum quínta eſſentia dícta per partes elemẽ tales díffuſa ſímplex & omníno íncorruptíbílis, & hæc longo tempore conſeruat res ín ípſorum eſſe,& natura ſagax produxit & ordínauit hanc, propterea quod deſíderet longo tempore conſeruare índíuídua & ín perpetuum producere res ín ſua ſpecíe,quamuís ením ín generatíone uníuoca anímalíũ omne anímal ſuum ſímíle generat ín ſpecíe, nihílomínus ín generatíone ceſsabílí,quæ fit per putrefactionem & corruptíonem generantis fit generatum deforme ad generans ín ſpecíe aut genere,ut uídemus ín cíbo,ex quo generatur & ínſtauratur íd quod per uígorem calorís íntrínſeci & extrínſeci abſumptum & deperdítum eſt, Nec dícímus medícinã hanc omníno íncorruptíbílem eſſe ut Cœlum, ſed cum ípſa generata ſit ex matería cæterís ommíbus íncorruptíbílíorí, & facta eſt ſímplex per ſeparatíonẽ elementorum corruptíbílíum,ſí debíte conſeruetur durabít decem míllía annorum abſq; corruptíone,& ſumpta per os longo tempore conſeruabít corpus humanum íncorruptíbíle,propter hãc cauſam ſedulo hortantur Medící,ut reficíamus nos cíbo mínus corruptíbílí.

DEMO. Hæc tua ſententía uídetur míhí ſímílís opínioní quorundam philoſophorum,qui uolebant Salamandram ſolo ígne uíuere,halec uero ſola aqua & talpam terra, Cameleonem aũt aere,quæ opínío falſa eſt,nulla ením res elementata ſímplící elemento poteſt uíuere,ſed íjs rebus ex quíbus cõpoſíta eſt conſeruatur(ut ínquit Ariſtoteles)quare neq; homo uítam ſuã ſuſtínebít ſolo íllo humído radícalí ſímplící & adeo íncorruptíbílí.

RAYM: Non díco hóminem uíuere poſſe hac medícina ſola , ſed eíus uſu cum cæterís alimentís poſſe tandem attíngere longæuítatem prímorum patrum, qui non ſolum fuerunt uſi lígno uítæ in Paradíſo terreſtrí ſed etíam relíquís fructíbus.

DEMO. Sunt ne hac medícina uſi patres prímí?

RAYM. Maxíme uti debebant ad uítam producendam.

DEMO: Mírum quidem íllos níhíl habuíſſe alíud quod à morte ípſos melíus defenderet.

RAYM: Naturalíter loquendo, hæc melíor & præſtantíor erat medícina qua níhíl excellentíus ín toto mundo. Cum enim (ut Ariſtoteles tradít líb. 10. Metha.) ín omní genere unũ quoddam ſit quod ín eo genere prímum gradum teneret, hæc autem medícina generata ſit ex magís íncorruptíbílí & uírtutís excellẽtíoris matería,quãm ſub cœlo haud ínuenies, & hæc prímum aut ſummum gradum tenebít ínter cæteras medícínas præſeruatíuas omnes.

DEMO. Eſt ígítur medícina hæc ípſum lígnum uítæ?

RAYM: Príus tíbí díxeram prímos patres ſtatím ab ínítío hoc lígno príuatos ut apud Moſen legímus.

DEMO. Fortaſſe etíam Moſes qui ab íneunte ætate ín ſcientíjs Aegyptíorũ probe inſtructus fuerat & huíus díuínæ ſcíentíæ cognítíonem habuít (ut Víncentíus Monachus ſcríptum relíquít) de hís rebus cum obſcurítate loquutus eſt quemadmodum & cæterí philoſophí fecerunt.

RAYM: Ipſíus ſcríptís níhíl detractum uolo,nam neq; plus aut nímus ípſí credendum quãm oporteat.

DEMO. Forte erít herba ílla cum qua Medea Eſonem ad íuuentutẽ reduxít,& cum qua Eſculapíus eos ſuſcítabat qui íam ferẽ erant extíncti.

RAYM: Eſt quídem ea medícina ípſa,ſed mínime herba dícenda, nam ueteres philoſophí ſub fabulís poetícís occultauerunt ſcientíam hanc & loquutí ſunt per ſímílítudínem.

DEMO. Quam dícís ſímílítudínem?

RAYM: Hæc medícina ín præparatíone multípliciter uaríatur,nam uírídem aſſumít colorem ut herba,propterea appellauerunt ípſam ueteres uegetabílem & herbam,hac de cauſa dícit Meluendus díſcípulus Hermetís de hís rebus díſſerens, O q̃ facílís eſt hæc res rebus uegetabílíbus propter uírídítatem.

DEMO. Cum herbæ tantas uírtutes medícínales habeãt qui fit ut hæc Medícína non poſsít eſſe herba?

RAYM: Medícína hæc fierí nõ poteſt neq; ex rebus uegetabílíbus neq; anímalíbus neq; ab íjs rebus q̃ ab eís deſumũtur.

DEMO. Quamobrem?

RAYM. Cum neceſſe ſit ut hæc Medicina omnino incorruptibilis ſit & oĩa elemẽtata in hoc ſupare debeat, neceſſe eſt ut extrahatur è materia q̃ ab omni corruptione q̃ alieniſſima ſit.

DEMO. Tamen dixiſti tu in lib. quem de naturæ ſecretis inſcripſiſti, hanc extrahendam eſſe de uino rubeo. Idem confirmat Ioannes de Rupeciſſa, alij uero Chelidoniam accipiendam eſſe autumant, alij ſanguinem humanum.

RAYM: Non parum erras ſi perſuaſum habes philoſophorum ſcripta ex nuda litera intelligenda eſſe, maxime in hac ſcientia, quanto clariori & magis aperte ſermone utuntur, tanto plus obſcuritatis habẽt eorũ ſcripta, ſimilitudinibus enim & per ænigmata locuti ſunt.

DEMO. In hac re qua uſi ſunt ſimilitudine?

RAYM. Dicit Senior philoſophus hanc medicinam conuerti & uariari de colore in colorem & de ſapore in ſaporem & de natura in naturam, propterea ſua nomina multiplicata eſſe. Dicit autem Minois philoſophus, Si quæratur quare factum ſit rubrum antequam reciperet albedinem. Reſpondendum bis denigrari, bis in colorẽ citrinum conuerti & bis recipere colorem rubrum. Cum uero bis colorem rubrum recipiat ut rubrum uinum & ſanguis humanus uidelicet poſt putrefactionem & in diſtillatione, propterea ueteres per ſimilitudines loquentes uocauerunt ipſam uinum rubeum, ſanguinem humanum, & ſanguinem Draconis & his ſimilibus.

DEMO. Ego omnio credebam animalia tanquam cæteris rebus omnibus inanimatis nobiliora, eſſe maioris uirtutis quoq̃ in medicina.

RAYM: Animalium præſtantia non conſiſtit in proportione & commixtione elementorum, ſed in anima. Cum autem medicina hæc facienda ſit, ex ſubſtantia corporea & materiali, propterea quędam mineralia ad hoc opus perficiendum præſtantiora ſunt, nam eorum cõpoſitio durior & fortior eſt quàm animalium, nam iſtorum compoſitio quãtum ad corpus debilis eſt & facilis corruptionis, & paucæ uirtutis. Videmus enim ipſa animalia quę occupata ſunt rebus altis & ſublimibus priuata eſſe uilibus & caſuris, propterea mineralia quædam nullam operationem habentia & ſenſibilitate carentia, maiorem uim corpoream habent quàm ipſa animalia.

DEMO. Si hæc medicina non poteſt fieri neq̃ ex uegetabilibus neq̃ animatis rebus, facienda eſt forte ex medijs mineralibus, ut ex ſale, alumine, atramento, marchaſita, antimonio, ſulphure & argento uiuo commune.

RAYM: Neq̃ ab his.

DEMO. Sunt tamen multum durabilia.

RAYM: Non ſunt uirtuoſiora cæteris rebus elementatis neq̃ incorruptibiliora.

DEMO. A quibus rebus corrumpuntur?

RAYM: Ignis uehementia.

DEMO. Ignis quidẽ omnia corrumpit, rapit & deuorat.

RAYM: Non poteſt tamen humidum radicale corrumpere in metallis, neq̃ ipſorũ calorẽ radicalẽ & cõplexionalem, ut affirmat Geber in lib. 2. & Albertus lib. 3. de mineralibus ca. 2.

DEMO. Qua ex cauſa?

RAYM: Propter ipſorum homogeneitatem & duriſsimã & fortiſsimam compoſitionem & colligantiam & propter uaporabilem mixtionem, & longiſsimam temperatiſsimamq̃ de coctionem in minera ſiue terræ uiſceribus.

DEMO. Concludis igitur medicinam hanc fieri debere ex humido & calido radicali metallorum?

RAYM: Videmus metalla quæ plus mille annis in antiquitatibus Romæ terra obruta latuerunt incorrupta, damnum nullum accepiſſe, unde facile conijcies quanto tempore ipſorum humidum radicale poſsit durare purificatum, diſtillatum & ſeparatum ab omni parte corruptibili, groſſa & elementali, hac de cauſa dicit Geber lib. 2. ca. 12. Videmus res diſtillatas fieri puriores & facilius à putrefactione conſeruari poſſe.

DEMO. Vnde habere putas metalla tantam uim & uirtutem ſuper omnes res elementatas?

RAYM: De cœlo.

DEMO. Tamen res duræ uirtutem cœleſtem minime recipiunt

cipiunt quia cœlo non obediunt, nam uidemus sigillum suam figuram non imprimere in durum lapidem sed in mollem cæram.

RAYM: Radij corporum cælestiũ in nullo elemẽto cum tanta uirtute uniuntur & potentia tanquam in terra, nam terra proprium & firmum receptaculum est uirtutũ cælestium & ipsius sphęræ centrum, hac de causa ipsa mirabilia producit uegetabilia, animalia & mineralia. Hermes dicit, terram parentem & genitricem esse metallorum, quæ in suo uentre portat metalla ut mulier prægnans fœtum in utero, dicit autem terram matrem esse, cœlum autem patrem, & quod ab ipsa terra impræ-
gnatur in montibus & planicie & in aqua & omni loco, Tamẽ concedendum est, terram in sua duritia permanentem nullam rem posse producere, cum non sit obediens motui. Cum uero continuo motu cœlesti & uirtute solari & aliorum planetarum ipsa terra continuè coquatur, & ex illa fit subtilior & alteratur, partesq; subtiliores uirtute caloris solis eleuentur in fumũ. Propterea uirtutes cœlestes continuo de cœlo descendentes & penetrantes in ipsam terram & ibi inuenientes materiam simplicem, subtilissimam, & spiritualem, incorruptibilem, lucidã & perspicuam, & naturę sagacitate præparatam & aptam, ut recipiat uirtutes cœlestes propter similitudinem quandam quam inter se habent, uim præstantissimam infundunt in ipsum duplicem summum metallicum radicalem. Et cum hæc materia spiritualis longissimo tempore in cœlesti obedientia & spiritualitate iam permansit in substantia principiorum metallorum, uniformis est & homogenea, quæ tempore longissimo ad mille annos usq; induratur tandem, ut inquit Geber lib. 1. cap. 7. propterea Cœlum infundit ipsis plures mirabiles uirtutes quàm in cæteris rebus omnibus, nam in his plus cæteris laborauit, & hæc est causa tantæ uirtutis metallorũ ut omnia elementata facile superent. Tametsi uero post longissimũ tempus hic fumus duplex & uapor spiritalis iam ad duritiam metallicam peruenit, & in se retineat uirtutem cœlestem, nihilominus cum impedita & suffocata sit à terrestritate & duritia, non potest extrinsece demonstrare uirtutem hanc cœlitus adeptam, nos uero cupientes illam fieri manifestam, & uolẽtes ipsam perducere ad lucem necesse est ut remoueamus terrestritatem & spissitudinem metalli, & reducamus ipsum ad primã simplicitatem quæ sufficienter decocta tantas uirtutes demonstrabit, ut quasi subito uideatur mutare corpora humana & reducere ad ueram pristinamq; sanitatem, poteris autem facile apud te ipsum expendere quantam uirtutem habeat medicina hæc. Si Noe qui hanc tenebat (ut scribit Vincentius monachus lib. 5. naturalium) quingentesimum annum agens generabat Sem, Cham & Iaphet.

DEMO. Sermo iste plurimũ delectauit me, sed hoc quæro, num ex gemnis Medicina hæc fieri possit?

RAYM: Quare hoc quæris?

DEMO. Quia sunt incorruptibiles & magnam uim & uirtutem Medicinalem habent & cœlestem quibus metalla etiam superent, propterea quemadmodum etiam Albertus affirmat in lib. de mineralibus & Hermes, Qui tradiderunt uirtutes rerum inferiarum dependere à stellis, & imaginibus cœlestibus, dixerunt quoq; uirtutẽ hanc descendere super res naturales plus aut minus impluẽdo & influẽdo, nam fortius imprimere suam uim materia existente magis simili uirtuti cœlesti & ipsis corporibus cœlesti lumine & perspicuitate, minus uero quum materiæ fuerint confusæ & feculentæ ut opprimatur in ipsis uirtus cœlestis, quũ igitur in substãtia et lumine, colore et pspicuitate cœlestibus corporibus similiora sint quàm ipsa metalla, qua de re etiã à qbusdã philosophis nominatæ sunt stellæ elemẽtales, debeant igitur multo præstantiores esse ipsis metallis ad præparandam hanc uirtuosissimam medicinam.

RAYM: Si tota substantia deberet conuerti & præparari in medicinã, aliquæ gemmæ multo præstantiores essent quàm ipsa metalla, quorum uirtus oppressa & sepulta est in terrestrita-
te & alijs accidentijs superuenientibus materiæ radicali in qua consistũt uirtutes hæ cœlestes, cum uero (ut supra diximus) neq; metalla neq; gemnæ recipiant uirtutem cœlestem quamdiu fuerint in forma metalli aut lapidis, sed cum figuram adeptæ fue-

rint uaporis tamdiu donec indurentur. Isti autem uapores qui de metallis generantur maiorem similitudinem habeant spiritualitatis & maiorem obedientiam cœlestem quàm alij uapores qui de gemmis generãtur, sequitur metalla plures habere uirtutes cœlestes quàm gemmæ.

DEMO. Quis huius rei nos reddit certos?

RAYM: Gemmæ sunt propinquæ in substantia elementis & ipsarum materia prima & qualitates primæ elementales parum alteratę sunt aut transmutatæ à prima natura sua, præterea coagulauit natura gemmas paruo artificio, & indurauit ipsa cũ diaphanitate & perspicuitate ea quam habebant in ipsarum materia prima fumosa, & quamuis habeant duritiem & uirtutem hanc ex duritia ipsorum, nihilominus præ se ferunt tamen uirtutem aliquam cœlestem, quod metallis non idem euenit, nam antequam hæc recipiant formam metallicã requiritur longissima transmutatio, & contemperantia metallorum & purgatio & transmutatio sulphuris, argenti uiui, salis & aluminis, & harum rerum longa decoctio. Lapides uero precioſi quamuis multum durabiles sint, hoc tamen à multa quantitate humidi radicalis uiscoſi nõ assequuti sunt, quod strictim & quàm arctissime ligat & compingit in simul partes ipsorum, participant enim ei in parua quãtitate, propterea facile triturantur, nam ea potius causata est à frigiditate congelante ex qua per naturam paruo labore indurati sunt, frigidum autem congelando claudit poros, & in ipsa substantia intrinsece constringit calorem naturalem adeo ut calor aeris ipsam aperire nequeat aut corrumpere. Ignis uero calor uehemẽs qui metalla quædam corrumpere potest, ipsorum humidum radicale non potest corrumpere, cum fortissime commixtum & unitum sit cum sicco terrestri subtili & digesto, hoc est cum sulphure & argento uiuo, cum quibus duobus hæc medicina fit incorruptibilitate & uirtute omnia superans.

DEMO. Marsilius Ficinus eorum opinionem reprobat & falsam esse affirmat, qui tradunt materiã auri intrare posse complexionem humani corporis, aut ipsi assimilari posse aut in potabilem substantiam conuerti, cum oportet ipsam prius conuerti & transmutari in sanguinem, postea uero in carnem, quod impossibile est propter ipsius duritiã, cum igitur medicina hæc ex auro fieri nõ possit, multo minus poterit ex metallis reliqs fieri.

RAYM: Equidem concedimus metalla existentia & permanentia in substantia metallica, etiam si aqua uitæ quàm maximo subtilientur, nullam tamen penitus affinitatem aut conuenientiam aliquam adipisci propinquam carni humanæ, nisi corrupta prius forma dura & redactis ad ipsorum primam materiã sufficienter purificatam & digestam, nam sic acquirunt hanc affinitatem & conuenientiam cum corpore humano, quam etiam cæteri cibi & medicinæ præseruatiuæ possident, quas tamen hæc longe præcellit in uirtute.

DEMO. Iam ex uerbis tuis intelligo, humidum istud radicale & materiam primam soluendam & distillandam esse.

RAYM: Verum dicis.

DEMO. Quomodo autem ex istis metallicis aquis fieri potest medicina pro humano corpore, cum fœtidissimæ sint & horribiles arrosiuæ & tam acutæ ut à philosophis pro ueneno præsentissimo habeantur. Morienus Romanus de ipsarum odore loquens, comparat ipsarum fœtorem mortuorum cadauerum sepulchris. Videmus quoq; eas aquas quæ per metallicas uenas fluũt, & in ipsius calefiũt, odorẽ ingratũ acquirere, erit igitur medicina hæc multo horribilior & naturę humanæ abominabilior, cum substantia ipsa metallica fuerit in aquam conuersa.

RAYM. Quemadmodum fructus in principio æstatis acerbi & austeri sunt, quod sufficientẽ decoctionem & digestionem nondum habuerint, & continue attrahẽdo humorẽ sufficienter maturare non possint & dulcorari, nisi multo calore totius æstatis decoquantur & digerantur ut fiant dulces & odoriferi. Idem euenit medicinæ nostræ extractæ ex terra metallorum, nam & hæc ante sufficiẽtem digestionem & decoctionem fœtida est & horribilis, & antequam uapores ab ipsa ascẽderint per decoctionem non poterit dulcorari, sed uaporibus coagulatis & sufficiẽ

ter decoctis mirabilem ſuauitatem & dulcedinem acquirit, propterea dixit Arnoldus in Roſario, dulcorabis amarum & habebis totum magiſterium.

DEMO. Eſt ne indicium aliquod ex quo cognoſcam medicinam hanc iam eſſe finitam?

RAYM: Ioannes de Rupeciſſa tradidit, quod & nos affirmauimus, uidelicet duo eſſe ſigna ſiue indicia certa quibus cognoſcitur medicinam hanc iam perfectam eſſe & finitam. Primum eſt hoc, ſi ponamus uas in quo hæc medicina incluſa eſt in angulum aliquem domus, & pro miraculo & quaſi inuiſibili obſtamine eo pertrahantur & alliciantur omnes qui domum illam ingrediuntur, alterum uero eſt ſi ponamus iam dictum uaſculum ſupra uerticem turris, ut ipſius odor attrahet & congreget ibi omnes aues quæ eam odoris ſuauitatem percipiunt, ſunt autem hæc certiſsima indicia medicinam iam finitam eſſe & omnino completam.

DEMO. Quid uoluit Ioannes de Rupeciſſa his uerbis ſignificare?

RAYM: Per turrim intelligimus fornacem in angulo domus poſitum, in quem uitrum quod materiam noſtræ medicinæ continet decoquendum ponitur, per intrantes uero domum iſtã & per aduolantes aues ſignificantur ſpiritus & uapores illi qui uirtute caloris ſurſum feruntur ac aſcendunt in altum per collum longum uaſis ſiue Boccíæ, qui cum figuntur & amplius non aſcendunt, indicium eſt ipſarum humiditatem aqueam iam conſumatam & materiam dulcoratam & medicinam finitam eſſe, non debes autem dubitare ſuper hac interpretatione, nã & Raſis eandem ſententiam tenet, nam ueteres uſi ſunt uarijs nominibus, ſimilitudinibus, figmentis, fabulis & ænigmatibus, ut hanc diuinam ſcientiam occultarẽt ne facile ab aliquo perciperetur, quod etiam nobiſcum affirmat Ioannes Picus Mirandula in lib. de dignitate hominis cum dicit, ueteres conſueuiſſe res diuinas altas & ſublimes ſub uelo multorum ænigmatum & fabularum poeticarum deſcribere.

DEMO.

DEMO. Poterit autem Medicina hæc ſanare omnes morbos curabiles?

RAYM: Diximus ſupra, medicinam hanc in ſupremo gradu & ordine primo conſtitutam. Cum enim diuerſi gradus ſint medicinarum curatiuarum, quædam longius ſeſe extendunt in uirtute curationis, quædam uero minus non ſolum in curando ſed etiam præſeruando corpus à multis ac uarijs infirmitatibus & ut corpus humanũ à corruptione conſeruent. Videmus enim ſubtilem ſubſtantiam & formalem in quantitate & materia ſubmerſam non poſſe exercere ſuas uirtutes niſi quanto magis ſpiritualis & formalis, & à materia ſeparata fuerit et à quantitate remota, tanto plus ſuam uirtutem extendat ut operetur uarios effectus, Noſtra uero medicina cum compoſita ſit ex ſpiritibus ſubtilioribus & materia ſimplici & quaſi ſeparata ab omni materia elementali, propterea facile poterit ſine impedimento uires ſuas in omnibus infirmitatibus quæ curã recipere poſſunt. Noſtrum item omne agens uirtutem habere operandi ſecundum propinquitatem & ſimilitudinem cum qua participauerit, cum primo actiuo, primum uero & uniuerſale agens corporeum & ſimplex corpora ſunt cœleſtia, quæ ut uniuerſalis cauſa ſe extendunt ſuper omnes res inferiores. Cum uero medicina noſtra propter ſubtilitatem ſuam & puritatem incorruptibilitatemq; ſupra omnia corpora maximam proquinquitatem & ſimilitudinem habeat cũ cœleſtibus corporibus à philoſophis Cœlum fuit nuncupata & quinta eſſentia, poterit igitur præ cæteris rebus corporeis inferioribus omnibus tanquam medicina uniuerſalis omnes curabiles morbos & infirmitates curare non tantum illas quæ ad phyſicum pertinẽt, ſed etiam iſtas quæ Chirurgi manum requirunt. Tradunt etiam Medici medicamentum Hieræ picræ ſingularem habere uirtutem attrahendis humoribus à capite, collo & pectore, & nõ ab alijs membris inferioribus, propterea quod hoc medicamentum generatum ſit per uirtutẽ quarundam ſtellarum quæ influentiam habent ſupra caput, collum & pectus, ut ſtella Arietis, Tauri & Gemini. Idem aſſerũt de cæteris

teris medicamentis quæ humores trahunt ex pedibus, coxendice & tibijs, quia ſpecialem quandam uirtutem hę medicinæ nactæ ſunt & certum influxum quendam ſuper membra hæc inferiora, ſcilicet ſtellæ Capricorni, Aquarij & Piſciũ. Metalla uero recipientia eſſentiam, nomen, numerum, colorem, uirtutem & proprietatem planetarum ſingularem, omnes uero planetæ habeant influentiam & uirtutem ſupra totum humanum corpus, & ex his metallis noſtra medicina generatur, habebit & hęc uirtutem ſupra totum humanum corpus, & aquæ thermarum ſi habent uirtutem ſanandi plures infirmitates, ea de cauſa quod ferunt ſecum tranſeuntes per metalli uenas uirtutẽ quandam metallicam, habebit nimirum ipſa ſubſtantia metallica maiorẽ uim in potabilem formam conuerſa. Cum autem ſecundum opinionem philoſophorum ueterum ſingula metalla ſecundam ſimilitudinem, uirtutem, nomen, colorem, & proprietatem in omni metallo ſunt comprehenſa, ut aperte demonſtratum eſt in lib. expoſitionis librorũ Gebri, Igitur & hæc noſtra medicina quamuis ſolummodo ab uno aliquo metallorum extracta fuerit, habebit tamen nihilominus uirtutem omnium metallorum & planetarum, & uirtutem ſuper totum corpus humanum ſanandi plures infirmitates curabiles. Idem uoluit ſignificare Ioãnes de Rupeciſſa de humiditate noſtra radicali loquens, & de quinta eſſentia ſub nomine aquæ uitæ, dicit enim aquam ardentẽ bonam in ſe continere omnium metallorum uirtutem, & nõ aquam eſſe uitis ſed uitæ, quia uitam hominibus donet.

DEMO. Quamuis iſtæ rationes ſatis prudenter & argutè adductæ ſint, nihilominus apud me perſuaſum habeo, unam medicinam ſimplicẽ omnes infirmitates minimè poſſe curare præcipue uero hac de cauſa, nam infirmitates contrariæ (ut Medici aſſerunt) medicinis curantur cõtrarijs, cum uero qualitates contrariæ in uno ſolo ſubiecto non poſſunt eſſe, mihi plane impoſſibile uidetur unam medicinam plures infirmitates poſſe curare. Tradunt præterea philoſophi, ex una ſola re præter unum effectum ſolum non cauſari, igitur neq; una ſola medicina plures morbos curabit.

RAYM: Vna ſola res ſimplex facit plures effectus contrarios ſecundum naturam diuerſam & diſpoſitionem recipientis. Videmus enim ſolis calorem diuerſum operari effectum cum lutum deſiccet cæram autem liquefaciat, cum tamen hi effectus contrarij ſint ex una ſola operatione, Quamuis igitur noſtra medicina res una & ſola ſit, & forte unam ſolam operationem habeat, nihilominus ſi conſideramus magnam illam ſimilitudinem quam cum omnibus rebus cœleſtibus habet, uidemus ipſam aptam ad recipiendum plures uirtutes cœleſtes. Cum etiam ab omnibus elemẽtis extracta ſit, dicimus ipſam habere uirtutem & qualitatem omnium elementorum, propterea multiplicis eſſe uirtutis & operari eam poſſe uarios effectus contrarios.

DEMO. Oſtende mihi nunc huius artis praxin.

RAYM: Lege expoſitionem noſtram librorum Gebri, nã ibi & materiam & praxin diſtinctè & clarè deſcriptã inuenies.

DEMO. Maximas tibi gratias ago pro tanto in me collocato beneficio ex tua ſingulari liberalitate & humanitate, & tu ualebis interim.

FINIS.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

